# ORBIS GOTHICI, LIBER III.

*ID EST:*

Narratio Hiſtorica Variorum Gothici Nominis Populorum,

Videlicet.

Vandalorum, Gepedarum, Burgundionum, Herulorum, Langobardorum, Rugiorum, Marcomannorum, Quadorum, & aliarum Gentium,

*Origines, Sedes, Migrationes, Reges &c.*

exhibens:

*OMNES*

GOTHIÆ SARMATHICÆ,

Id eſt:

*Patriæ & Imperio Sereniſſimi ac Potentiſſimi*

PRINCIPIS ac DOMINI,

DNI JOANNIS III,

Invictiſſimi Poloniarum Monarchæ Patris Patriæ Clementiſſimi,

vindicatas.

Operâ & Studio

*MATTHÆI PRÆTORII,*

Præpoſiti Weiripol.

S. Reg. Maj. Hiſtoriographi & Secretarii.

ANNO DOMINI M DC LXXXIX.

*Typis MONAST. OLIV. Sac. Ord. Ciſtercienſ.*

Imprimebat JOHANNES JACOBUS TEXTOR, Factor.

# SERENISSIMO
AC
*Potentiſſimo Principi ac Domino,*
# DOMINO
# JOANNI III,
Monarchæ Poloniarum Invictiſſimo Magno Duci Lietvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Zamogithiæ, Liwoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque.

*Potentiſſimo Exercituum Chriſtianorum Imperatori Patri Patriæ Clementiſſimo.*

Dno. Domino ſuo Beneficentiſſimo

Hunc Orbis Gothici Lib. III.

D. D. O.

*Humillimus Servus*
Matthæus Prætorius.

*Sillabus Contentorum*

# LIB. III.

# ORBIS GOTHICI.

## CAPUT I.

### *De Vandalis cæteriſque hujus Nominis Populis.*


§. 1. De Vandalorum Nomine, ejusdem Derivatione aliorum Sententiæ. p. 1
2. De Vinarum, Vinulorum, Fennorum, Finnorum, Vindelicorum, Vendarum Nominibus. p. 2.
3. Auctoris Sententia de ſupra allatis Nominibus proponitur. p. 3.
4. De Origine Gentis Vandalorum ſenſa aliorum proponuntur. p. 4.
5. Auctoris Sententia proponitur. p. 5.
6. Reſpondetur ad Objecta Auctorum diverſa ſentientium. p. 6.
7. De Vandalorum Antiquorum genuina Sede ſeu Patria. p. 8.
8. De Populis Vandalicis aliorum Sententiæ proponuntur. p. 9.
9. Sententia Auctoris proponitur. p. 11.
10. De Vandalorum Expeditionibus Bellicis. p. 15.
11. Reges Vandalorum recenſentur. p. 18.


## CAPUT II. 19.

### *De Gepedis.*


§. 1. De Gepedarum Nomine ejusque Derivatione. p. 19.
2. De Origine Gentis Gepidarum. p. 19.
3. De primis Gepedarum Sedibus in Sarmatia ſive de Gepedis ad Viſtulam. p. 20.
4. De Sedibus Gepedarum in Dacia, Dalmatia Pannonia. p. 21.
5. De Expeditionibus Bellicis Gepedarum. p. 22.
6. Reges Gepedarum celebriores recenſentur. p. 23.


## CAPUT III.

### *De Burgundionibus Gente Gotho-Sarmatica.* *p.* 23.


§. 1. De vario apud Auctores Nomine Burgundionum.
2. De Nominis Derivatione. p. 24.
3. De Origine & Sedibus Burgundionum. p. 25.
4. De Bellicis Migrationibus Burgundionum. p. 26.
5. Catalogum Regum Burgundicorum exhibet. p. 28.
1. Proponuntur Reges ad Viſtulam in Sarmatica Germania. p. 28.
2. --- Burgundionnm Reges ad Rheni ripam. p. 28.
3. --- --- --- Reges in Gallia. p. 28.
4. Reges Burgundiæ ex poſteritate Veterum Burgundionum. p. 29.


CA-

# CAPUT IV.

## *De Herulis.* *p.* 30.

§. 1. De Herulorum Nomine, ejusque Derivatione. p. 30.
2. De Origine & Genuina Herulorum Patria. p. 31.
3. De Inſula Thule Herulorum Patria Sede. p. 32.
Proponuntur Auctorum Sententiæ de Situ hujus Inſulæ. p. 33.
Proponuntur Auctorum ſenſa quænam ſit & ubi locorum hæc Inſula Thule. p. 33.
Refelluntur propoſita Auctorum ſenſa. p. 34.
Præſupponuntur quædam de hac Inſula, ad majorem Sitûs locique illius intelligentiam. p. 36.
Proponitur Auctoris Sententia. p. 37.
4. De Migrationibus Herulorum Bellicis. p. 39.
5. Reges Herulorum ad Mare Balthicum in Rugia, Wenelia &c. p. 42.
Reges Herulorum in Finibus Pannoniæ & Norici. p. 43.
--- --- --- --- in Valeria. p. 43.
--- --- --- --- in Dálmatia. p. 43.

# CAPUT V.

## *De Longobardis.*

§. 1. De Nomine Longobardorum. p. 44.
2. De Origine Longobardorum. p. 44.
3. De Patria Genuina ſeu Situ Longobardiæ antiquæ. p. 45.
4. De Longobardorum Migrationibus & Expeditionibus Bellicis. p. 46.
5. Catalogus Regum Longobardorum in Germania Gotho-Sarmatica & in Pannonia. p. 47.
6. Reges Longobard. in Italia. p. 48.

# CAPUT VI.

## *De Rugiis.* *p.* 49.

§. 1. De Nomine, Origine, Situque Rugiorum. p. 49.
2. De Expeditionibus & Regibus Veterum Rugiorum. p. 50.

# CAPUT VII.

## *De Marcomannis & Quadis.* *p.* 51.

§. 1. De Nomine Marcomannorum. p. 51.
2. De Origine Gentis Marcomannicæ & Situ Marcomanniæ antiquæ. p. 52.
3. De Bojohemia ſeu Bohemia, Bohemis. p. 53.
4. De Principibus Bohemicis. p. 54.
5. De variis Marcomannorum Sedibus & Migrationibus Bellicis. p. 55.
6. Reges Veterum Marcomannorum referuntur, præſertim qui ad Albim in Bohemo viciniſque terris regnârunt. p. 61.
7. De Quadis, Eorum Nomine, Origine, Situ, Bellis. p. 62.
Reges Quadorum celebriores. p. 64.

# LIBER III.
# ORBIS GOTHICI,

RElíquos ampliſſimæ Gentis Gothicæ populos proſequimur. Atque inprimis Vandalos famâ nominis virtutisque celeberrimos proponemus.

## CAPUT I.
## *De Vandalis, cæteriſque hujus nominis populis.*

QUanta olim Vandalici nominis fuerit celebritas, etiam illum, primis qui labris, ut ajunt, antiquam deguſtavit hiſtoriam, latere non poteſt: tot nimirum gens hæc Regna, tot tamque amplas inundavit Provincias, ut minimè uno *Europæ* orbe contenta, *Aſiæ* quoque *Africæque* inhiare viſa ſit. Adeo ſcilicet nominis ſui gloriam, Majeſtatemque imperij propagavit, ut nullum ſit hoc ævo noſtro regnum, nulla vel Provincia, cujus Chronica, non illius meminerit; immò arma, acies, victorias deſcripta non proponat.

*Amplitudo Vandalicæ gentis.*

### §. I
### *De Vandalorum Nomine, ejuſdemque derivatione, aliorum ſententiæ.*

VAndalorum nomen multum apud Authores variat. Et quidem Oroſio, Capitolino, Mamertino, Eutropio, Caſſiodoro, Xiphilino, Jornandi & Recentioribus plerumque audiunt hoc nomine, *Vandali.* Paulus Diaconus & Helmoldus ſcribunt per duplex U, ſive W. 50. *VVandali.* Tacito ſunt *Vandalii.* Græcis præſertim Ptolomæo dicuntur Βάνδιλοι, i. e. *bandili*; quem ſecuti ſunt Vapiſcus, Procopius, Zoſimus, Svidas, à quibus paulò differt Procopius, cui *Vendili* nominantur. P. Diacono iidem audiunt *VVinili.* Sigeberto & Helmoldo etiam *VVinuli.* Tabulæ Itinerariæ *Vanduli.* Dysburgio *Vinæ.* Cluverius opinatur à nonnullis etiam dictos fuiſſe *Vandolos*, Jornandi etiam *Vinoviloth*, Plinio videntur dici *Vindelici.* Unde legimus apud Trebell. Poll. [a] quod *Regilianus* fortiter, auctoribus Roxolanis *egerit contra Vinde-*

*Nomen Vandalorum variat.*

A

[a] p. 373.

*Vindelicos Sarmatas.* Audiunt plerumque Teutonicis, *Vendæ*, **die Wenden**, ut videre eſt ex titulis Regum & Principum, qui ſe ſcribunt: *Principes Gothorum Vandalorum Latinè*; Teutonicè ſic ſcribi permittunt: **Fürſten der Gothen und Wenden** / i. e. *Principes Gothorum & Vendarum* ſeu *Vandalorum. Derivatio* nominis hujus apud Eruditos quoque variat. Jod. Lud. Decius [b] deducit nomen à *Vanda*, Craci, Principis, olim Polonorum filia, quam à *Riethogaro* ſeu, ut alii volunt, *Lothogaro*, Teutonum Principe, ob formam pulchritudinemque in matrimonium petitam, belloque ob eam rem tentatam eſſe: ſed cùm feliciter bellum confeciſſet hoſtesque profligaſſet, ut pudicitiam Diis gratam, pro inſigni victoria victimam litaſſet, in Viſtulæ amnem ſe præcipitem dediſſe, undisque commerſam, ac ultra milliare inventam, in campo, ubi nunc *Mogila* vicus eſt, tumulatam eſſe; cujus rei monumentum exſtat usque hodie editus ab antiquo ibidem tumulus: Unde Viſtula amnem, quem ex ejus contactu gens illa *ſacrum* putavit, ab ejus nomine Vandalum appellatum eſſe idem Auctor tradit. Hinc Vandalos oriundos vetuſtas Polonorum refert. Cui adſtipulatur Matth. à Miechov. [c] & nonnulli rerum Sarmaticarum Scriptores. Quare & ipſi Miechovio noſtra Polonia audit hoc nomine *Vandalia*. Quanquam non deſunt, qui Vandalorum nomen à Teutonico vocabulo **Wandelen** derivant. Videtur huic favere ſententiæ Sarnicius. [d] Ea vox denotat *migrare peregrinari*; adeoque ipſis Vandali erunt quaſi *migrantes* ſeu *peregrinantes*, ſcil. qui modò huc modò illuc ab uno ad alium locum demigrant. Ab his differt Illuſtris olim Noſtri Regni Hiſtoriographus J. *Paſtorius* qui Vandalos dictos putat, quaſi *Vendos Alanos*.

*Derivatio Nominis Vandalorum variat.*

*Vanda Princeps Polonorum.*

*Viſtula amnis olim ſacer.*

*Polonia Vandalia.*

## §. II.

## *De Vinarum, Vinulorum, Fennorum, Finnorum, Vindelicorum, Vendarum, Nominibus.*

NOmina Winæ, Vinuli, Vindeli, Vindelici, &c. Merentur hîc aliquam à nobis conſiderationem. Potiſſimum unde harum vocum derivatio proveniat? neque ſatis integrum eſt, certi quidpiam afferre hac in re. Sunt qui nomen *Vinarum* derivare intendunt à græco vocabulo βύνη, quod apud Ætium eſt, hordeum madefactum, quod germen emiſit, deinde cum ligulis enatis torretur. Id **Maltz** vel *Maltam* coctores cereviſiarum apud Teutones appellant. Hinc Vinæ ideo videntur dicti; quod ipſi primi omnium *cereviſiæ coctores* fuerint. Quod tamen Oſorius Ægyptiis, eorumque Regi *Oſyri* adſcribit. Videatur quoque Dioborus [e] Sed qua auctoritate tributum id Vinis, non video. Perſuaſum tamen habeo, Scythicos populos præ Agyptiis longè antiquiores fuiſſe, utpote Aſiæ viciniores; ideo & cereviſiæ coquendæ inventum Scythis tribuendum eſſe. Eadem vox βύνη apud Lycophronum in Alex. eſt idem quod Leucothea, denotatque Deam fæda-

*Unde nomen Vinarum.*

*Inventum cereviſiæ coquendæ.*

*Βυνη vox quid ſignificet?*

b in Antiquit Polon. c in Sarmatia Europ. l. 1. c. 12. d lib. 4. p. 149. It. Cromerus c. l. e lib. 1.

fædarum nuptialium. Verum Græcanica hæc nominis derivatio, meritò cum priore rejicitur, cum Vinæ nunquam è Græcia oriundi fuerint, neque alio quam patrio, i. e. Sarmatico uſi ſint idiomate. Huic confines ſunt voces *Finni* & *Fenni.* Facili literarum, F. in V. e. in i. permutatione Græcis Latinisque frequentiſſima in uſu. Quæ ſimiliter unde derivanda ſint, non eadem eruditorum mens eſt. Sunt qui à Germanico **Fein/** i. e. *ſubtilis*, neſcio quo argumento deducunt. *Vindelici*, vel prout mavult Cluverius, *Vindeli* nomen quidam ex Germanico **Winden/** i. e. *intorquere*, *intrudere* derivant, putantque ideo dictos eſſe hoc nomine Teutonicis, quod ſe in varias terras & regiones intruſerint, variisque populis immiſcuerint. Quidam ex Germanico **Windeln/** derivare ſatagunt, nimirum à *linteis* vel *laneis*, quibus involvuntur infantes, vel adultorum pedes; eoque huc adducuntur argumento, quod hic populus loco tibi alium vel femoralium, uſus fuerit talium linteorum, vel laneorum, quibus amiciebant pedes ſuos, quo amiculorum genere adhuc utitur gens ruſtica in Zamogethia, Ruſſia, Zalavonia, Nadravia, Curonia, Maſovia & Polonia. Item illi ad Dwinam & Viſtulam fl. degentes. Linguâ Gotho-Pruſſicâ dicuntur ejusmodi lintea, *Alltai*, quaſi *involucra pedum.* Vendarum eandem eſſe cum Vindelis derivationem nominis ferè multorum eſt opinio. Quidam nihilominùs è Neotericis nomen hoc à voce Teutonica **Pfänden/** i. e. *pignora* vel *pecora aufferre* deducit: quaſi à Teutonibus ſic dicti eſſent, quod vicinorum pecora in confiniis errantia ſeu palantia aufferre vel rapere ſoliti eſſent ſic, dum populi latrocinia improbabant, nomen populo indiderunt. Sunt qui à *Venda*, quæ & Vanda audit celeberrima Polonorum Principe, de qua ſuperius ita dictos putant. Item ſunt, qui à Polonica voce Venda, quæ hamum denotat, appellatos exiſtimant, quod ſcil. Vendi ad littus maris Balthici & ad Viſtulam habitantes, plurimum hoc genere piſcationis occuparentur.

*Voces Finni, Fenni.*

*Unde Vindeli nomen?*

*Vendarum nomen unde?*

*Venda Polonis hamus.*

## §. III.

## *Auctoris ſententia de ſupra allatis nominibus proponitur.*

Mihi certè allata ſupra Authoribus ſenſa minimè placent: imò. Derivatio illa nominis è Germanico **Wandeln**, ideo non probatur, quod cum Vandali non fuerint Teutones, non etiam è Teutonica lingva petenda ſit derivatio nominis. Neque vero ſimile eſt, tale illos ſibi indidiſſe vel acceptâſſe nomen; quanquam haud abſurdum videtur eſſe potuiſſe Teutones perſpectis Vandalorum migrationibus bellicis, ad illorum nomen alludentes vocare illos **die Wandeler/** i. e. migrantes. Non 2do. probatur derivatio Vendarum à Venda ſeu Vanda Polona: nimis ea à longe petita eſſe videtur, nulloque ferè firmata argumento. Multo minùs à **Pfänden** aut **Winden/** aut **Windeln.** Luſus hic eſt otioſi ingenii ex mera vocis alluſione natus. Certum nobis eſt, Sarmatiæ populorum nomina, non niſi ex Patria i. e. Slavonica ſeu Sarmatica lingva derivanda eſſe. Meo, ſalvo tamen æquiora ſentientium judicio, Vandalorum nomen, quod aliis ſed Græcis potiſſimùm.

*Vandalorum nomen non derivandum ex Germanico* **Wandeln.**

*Nec à Venda Principe.*

*Minus à* **Pfänden/** *aut* **Winden/** *aut* **Windeln.**

*Sed à voce Sarmatica Banda.*

ſimùm. *Bandalorum* audit, derivandum eſt, à voce Sarmatica, *Banda* quæ vox *Armentum* ſignificat. Nimirum eæ erant Sarmatarum facultates, eæ divitiæ, quibus ſe ſuſtentabant & ſovebant. Atque hoc ſenſu usque hodie in Nadravia, Zalavonia, Sudovia, Maſovia Zamogethia &c. *Bandali* ſeu *Banduli* vocantur, qui armenta boum & multa pecora alunt, venduntque. Ita Sarmatæ noſtri, qui ex ukraina, Podolia, Valachia Moldavia prægrandes illos boves, quos ſua lingva czabanos, Hungari Zabandos vocant, in Germaniam abigunt, venduntque, audiunt noſtris Gotho-Pruſſis & Zamogethis *Banduli*, & pro dialectu hujus vel illius nationis conſueta, apud Sarmatas literarum B. in V. mutatione *Vanduli.* Nomina *Vindulorum*, imò & *Vendarum* & *Vendilarum* ex eadem radice protruſum puto. Inclinat quaſi propriæ naturæ ductu quælibet natio ad hanc vel illam vocalem, cui in pronunciatione inhæret maximè in peregrinis vocibus, id quod præ cæteris nationibus de Teutonibus, Latinis & Græcis verum eſſe extra controverſiam eſt, Inde quos Procopius *Vendilos* vocat, eos vocat Jornandes *Uandalos*, & ſic in cæteris. *Vinarum* nominis, quod idem eſt cum *Phinnis* ſive *Finnis*, ſive *Fennis* alia videtur eſſe ratio, & è conſequenti alia derivatio. *Vinas* enim vox in veteri Pruſſica lingva notat *Latronem* ſive *hominem damna aliis inferentem.* Unde Polonis *VVina*, culpa eſt, *Vinæ* autem ſeu *Finni* vel *Fenni* &c. latrociniis mirè infames fuere apud antiquos. Ita enim de his populis, Tacitus lib. de moribus Germanorum ait: *Fennis (*Vinis vel Finnis*) Mira feritas, fœda paupertas; non arma, non equi, non penates, victui herba, veſtitui pelles, cubili humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopiâ ferri oſſibus aſperant. Idemque venatus viros pariter & fœminas alit; paſſim enim comitantur partemque prædæ petunt.* Et cum apud Sarmatas prædari glorioſum fuerit, ut lib. 1. c. 4. §. 10. demonſtravimus, ſibi ipſi vel indiderunt hoc nomen, vel inditum ab aliis non repugnantes acceptârunt. Hæc mea eſt conjectura, quanquam non improbo Ern. Dietzelij opinionem, ex alio fonte nominis hujus originem derivantis, nimirum à vocabulo quodam Gotho-Pruſſico. *VVynu*, quod eſt *fugare*, aut *curſu inſequi aliquem*, à primitivo *wiju* i. e. *aſſequor curſu.* Nam & de his populis Tacitus expreſſè habet, quod *pernicitate pedum gaviſi fuerint.* Neque hæc multum diſtat oponio à mea. Solent enim Latrones infami pernicitatis ac velocitatis pedum nomine & re gaudere, ut eo velociùs prædam, cui inhiant, arripere queant. Et *wynus* apud Gotho-Pruſſos etiam nunc *pedivolus fur* dicitur, i. e. *pedibus volans*, ac ſi pedes alatos haberet ob pernicitatem curſûs. *Vinulorum* autem nomen diminutivum eſſe, & derivatum à Winus palàm videtur, quaſi diceres. *Minores winos* vel *ſubditos Vinarum* fuiſſe.

*Vinarum nomen unde?*

*Vinas vox Sarmatica.*

*Prædari apud Sarmatas glorioſum.*

*Dietzelii opinio de voce vinæ.*

*Vinuli nomen diminutivum.*

## §. IV.

## *De Origine Gentis Vandalorum ſenſa aliorum proponuntur.*

*Origo Vandalorum an à Vandalo nepote Noemi?*

SAnitius gentis hujus conditorem facit *Vandalum* quendam nepotem

tem Noemi. Alii deducunt à *VVenda* Principe Poloniæ. Ab hac *Venda* ſive *Vanda* fluv. Viſtulam nomen accepiſſe Vandali, ejusque accolas *Vandalos* dictos eſſe, ſcilicet Vendæ ſubditos iidem Authores referunt. Sunt qui ex *Scanzia* Vandalos deducunt. Hujus opinionis auctor videtur eſſe Jornandes, quem cum Lazio plurimi non inerudi-ti ſequuntur viri, qui Vandalos & Gepidas, Burgundionesque, ex illa *vagina gentium Scanzia* prodiiſſe referunt. Plinius lib. 4. c. 14. ex Germania deducit illos & Vandalos Germanicam gentem reputat. *Germanorum*, inquit, *genera ſunt quinque: Vindeli, quorum pars Burgundiones, Vanini, Cærini, Guttones*, &c. Nomine autem *Vindelorum*, ex conſenſu omnium fere Geographorum intelligit *Vandalos*. Si Germaniæ nomine, hodierna hæc venire deberet Germania ſeu potius Teutonia, improbanda omnino foret hæc ſententia: ſed quo ſenſu hæc ſint acceptanda videatur lib. 1. Orb. Goth. c. 3. §. 2.

*An à Venda?*

*An è Scanzia?*

*Vandali Germani. Plinio.*

## §. V.
## *Auctoris Sententia proponitur.*

PAce eruditorum virorum dixerim, *Vandalos* ſeu potiùs pro hodierna dielecto *Vandulos*, eſſe origine *Gotho-Sarmatas*. Puto ego his motus argumentis. (1.) Patet id ex *derivatione vocis Vandalorum*, quæ quod ſit purè ſarmatica in prioribus §. deduximus. (2.) Ex *Procopio*, qui [f] ita ait; *Honorio Occidenti Præſidente, barbari illius rei invaſerunt regionem. Qui vero fuerint & quomodo, dicam. Gothicæ gentes multæ quidem & aliæ priores fuere, quam nunc. Omnium autem maximæ & potentiſſimæ* Gothi *&* Vandali, *&* Viſegothi *&* Gepedes, *jam dudum &* Sarmatæ *&* Melanchlæni *apellati. Sunt qui* Geticas *gentes has vocant; qui omnes nominibus quidem inter ſe differunt, cætero conveniunt. Nam & albi ſunt omnes corpore, flavi coma, proceri quoque & aſpectu probo, legibus autem iisdem utuntur. Similiter & Ariano omnes opinionis voce unica,* Gothica *appellata utentes, & ut mihi ſanè videtur, ex una omnes gente procreati, nomina poſtea ab eorum Ducibus varia ſortiti.* Palàm hic Auctor, omni exceptione major aſſerit, Vandalos 1. fuiſſe Gentem Gothicam 2. non Teutonicam ſed Sarmaticam 3. à Gothis, quidem ratione Ducum nominetenus diverſam, unam tamen cum illis, eandemque origine, lingvâ, moribus, religione, legibus, ſtaturâ. (3.) Patet ex *Plinio* [g] enumerans hujus loci populos Gothos vandalorum dicit eſſe populos, & Guthones partem Vindelorum ſeu Vandalorum, ergo una gens Vandali cum Gothis fuêre. (4.) Potiores ex veteribus Hiſtorici Vandalorum gentem ex regionibus *circa Mœotin Paludem* ſitis, unde & Gothos veniſſe omnis veterum ſcriptorum refert, deducunt. Inſtar omnium ſit nobis in præſenti Procopius [h] qui ita de illis ſcribit: *Vandali circa paludem Mœotidem conſidentes, ubi fame preſſi ſunt, in Germanos irruunt, qui nunc Franci dicuntur, ſimulque Rhenum fluvium trajecerunt, in ſocietatem Alanos, Gothicum & ipſum genus adſciſcentes.* Ex quo clarè deduco: 1. easdem Vandalis fuiſſe ſedes, quæ

*Auctoris ſententia de origine Vandalorum.*

*Probatur ex derivatione nominis Vandalorum.*

*2. ex Procopio.*

*3. ex Plinio.*

*4. ex Procopio.*



*f* lib. 3. Goth. *g* lib. 4. c. e. *h* l. 3. de Bello Vand.

quæ Gothis fuere, quippe & Gothos inde derivaſſe veteres, ſuperius oſtenſum eſt. 2. *Germaniam variam* apud veteres præſertim tempore Procopii fuiſſe, non modo Sarmaticam, ſed & Teutonicam ſeu Francicam. Sarmatica fuit quæ affinis hodiernæ Sarmatiæ & mari Balthico, Francica, quæ ad Rhenum. (3.) *Alanos* etiam *Gothicam* gentem fuiſſe, cumque Gothis in ſocietate armorum vixiſſe, de quo in ſequent. Hic verò notandum occurrit, quo ſenſu Veteres, *Gothicos populos ad Mœotidem coluiſſe loquuntur*, atque eos de Palude iſta deducunt. Nimirum Romani Imperii termini, à ſeptemtrione *Iſter*, & *Mœotis Palus* fuerunt. Cum enim tam multæ tamque potentes Gothorum gentes, ultra Mœotin, imo ultra Tyram ad Boryſtenem & Viſtulam &c. habitantes ſuis non contentæ finibus, Daciam conterminam Mœotidi & Iſtro ſibi ſubjugârint, per Daciam ac ſecundo Iſtro, ſæpiùs navibus Mœotidem trajicientes, interiores Romanorum terras infeſtarent, omnes barbari, à Mœotide, quod venerint, habiti ſunt. Non hoc quidem ſenſu, quod tantus populorum numerus in ſolis Mœotidis litore conſederint, ſed quod ex *illa plaga, qua ſita eſt Mœotis, advenerint*. Maximè, quod Romanis totus ille terrarum ſeptemtrionalium tractus ad Boream Caurum & Cæciam ſitus, incognitus fuerit; hinc non niſi à terminis, ſibi cognitis ſedes barbarorum nominare potuerunt. Hæc ſcilicet eſt cauſa, qua omnes ferè barbaros Romani à Mœotide veniſſe arbitrati ſunt. (5.) Probatur quoque ex Jornande,[i] qui teſtatur, Vandalos quondam ea loca tenuiſſe, quæ ab oriente quidem Gothos, quos tunc in Dacia habitaſſe inquit, ab Occidente Marcomannos, à ſeptentrione Hermonduros à meridie Iſtrum finitimum habuere. Hæc verò loca & olim & nunc Sarmatia audierunt, populusque Sarmatæ, lingvâ Slavonicâ ſeu Sarmaticâ utentes, in quibus modò Raſciani, Slavoni, Croati Serbi &c. unius gentis, lingvæ, originis, populi habitant. *(6.)* Eluceſcit tandem id ex eo, quod *Vandali ad Slavicos populos* apud Jornandem & alios Authores referantur, eorum lingva, merè Slavonica ſit. Vid. Laz.[k] Slavos autem Sarmaticum fuiſſe populum, nemo eſt eruditorum, quod ſciam qui neget. Videatur Cluverius[l] qui illis *loca intra Viſtulam* & *Pontum* attribuit, & ipſum nomen (Slavi) Sarmaticum reputat.[m]

*Germania apud veteres varia.* — *Alani Gothi.* — *5. ex Jornande.* — *6. quod Vandali ſint ſlavi.*

## §. VI.

## *Reſpondetur ad Objecta Authorum diverſa ſentientium.*

SUnt qui noſtræ ſententiæ refragentur, iique non vulgaris eruditionis viri; Atque inprimis *Martinus Cromerus* Princeps fere Hiſtoricorum Sarmatiæ, aliique nonnulli, quorum argumenta hæc ſunt: *(1.)* *Vandalos* ſub *Regibus* fuiſſe, *Slavos ſine Regibus*, ſub Ducibus. *(2.)* *Vandalos moliſſimos* ac delicatiſſimos fuiſſe, *Slavos ſordidos* & inhumanos. (3.) *Gothos & Vandalos unam* gentem fuiſſe; *Gothos autem Germanos fuiſſe* veterum communis ſententia eſt. Inde Vandali ad Conſtantinum Imperatorem Legati Profeſſi ſunt, ſe Germanos eſſe. (4) *Ducum & Regum*

*Martini Cromeri ſententia*

i lib. de Gothicis populis. k lib. II. p. 753. c. I. l lib. I. c. 4. m Vid. lib. 2. c. I. de Slavis.

*Regum gentis hujus nomina non eſſe Slavica vel Sarmatica* ſed Germanica; Imò ne unum vocabulum Slavicum ex omni Vandalorum hiſtoria proferri poſſe. Ad quæ Reſpondemus Et Primum quidem argumentum, non ſatis firmo inniti lato: nempe, Vandalorum Reges apud Hiſtoricos recenſentur; Slavorum non item: Ergo non fuerunt una gens Vandali & Slavi? Neque Sarmatarum Reges, mitius Melanchlænorum, imò nec Vandalorum Reges, niſi tunc primùm, quando expeditionibus ſuis inclaruerunt Romanis recenſentur. Ergo ante expeditiones non habuerunt Reges, quorum imperio paruerunt? Valeret aliquid hoc argumentum, ſi ex probatis Authoribus probari poſſet, Politiam Slavorum ita ſemper fuiſſe ordinatam, ut nunquam paſſi ſint Regem aliquem aut Monarcham. Cæterum & Sarmatas ſuos habuiſſe Reges probavimus lib. 1. Orb. Goth. c. 10. §. 9. adeoque, & Slavi, qui ſemper Sarmaticis annumerati ſunt populis.

*Ejusque argumenta refelluntur.*

Argumentum ſecundum non officit. Non enim eſt gens ulla, in qua non reperiatur mollities, itidem & ſordities. Sanè durionis vitæ fuiſſe Slavos libenter concedimus; verùm nec Vandalos delicatos fuiſſe ex Sidonio Apollinari oſtendimus, qui oculatus teſtis de gente quadam Vandalica, Burgundiones dicta ita occinit:

*Vandali, Burgundiones haud fuere delicati, probatur ex Sidonio.*

*VIs dicam tibi, quid poema frangat:*
*Ex hoc Barbaricis abacta plectris,*
*Spernit ſemipedem ſtylum Thalia,*
*Ex quo ſeptipedes videt Patronos,*
*Felices oculos tuos & aures,*
*Felicemque libet vocare naſum,*
*Cui non allia ſordidæque cæpæ*
*Ructant, mane novo decem apparatus.*
*Quemnam non vetulum patris parentem,*
*Nutricisque virum die nec orto*
*Tot tantique petunt ſimul Gigantes,*
*Quot vix Alcinoi culina ferret.*
*Quid me, etſi valeam parare carmen,*
*Feſcenninicolæ jubes Diones,*
*Inter crinigeras ſitum catervas,*
*Et Germanica verba ſuſtinentem*
*Laudantem tetrico ſubinde vultu,*
*Quod Burgundio cantat eſculentus,*
*Infundens acido comam butyro.*

Et ſane gentem, quæ famem & ſitim tolerare aſſveta fuit, non facilè quis dixerit fuiſſe delicatam & mollem. Ita enim *Atheas* Gothorum, (qui idem cum Vandalis populus fuit) Rex Philippo Macedoni

doni objecit: *Tu quidem*, ait, *Macedonibus imperas, rerum bellicarum peritis; ego verò Scythis, qui famem & ſitim tolerare poſſunt.* Sed & *ſorditiem* memorant Authores populi hujus. Tacitus de populis Gothorum, *Vinis* ſeu *Finnis*, ad quos Vandali omninò referendi ſunt, ita ait: *Sordes omnium & torpor: cæterum connubiis miſti*, &c. Sidonius Carm. VII. teſtatùr, quod *inter illos communes omnium ſordes* fuerint. Tertium & 4tum Argumenta facilè ſolventur, ſi Germani veteres diſtingvantur ab hodiernis, qui olim Franci, nunc Teutones audiunt de quo legendus lib. 1. c. 3. §. 6. O. G. quo benevolum Lectorem remitto. Ad ultimum Reſpondeo omnino nomina illa Principum Vandalicorum eſſe merè Slavonica: imò & lingvam Vandalicam, ſeu prout nunc vocatur Vendica eſſe Slavoniam; prout id fuiſſe in ſeq. & aliàs demonſtrabitur, & partim in ſuperioribus probatam eſt.

*Vandali nominis populorum ſordities. Vinarum ſordes.*

*Nomina Vandalorum Slavonica.*

## §. VII.
## *De Vandalorum Antiquorum genuina ſede, ſeu, Patria.*

VAriant multùm Authores in hac materia. Procopius [n] de initiis Vandalorum differens aſſignat ipſis *Mœotin* Paludem. *Vandali*, inquit, *circa Mœotin Pal. conſidentes, ubi famè preſſi ſunt, in Germanos irruunt, qui nunc Franci dicuntur, ſimulque Rhenum fluvium trajecerunt, in ſocietatem Alanos, Gothicum & ipſum genus adſciſcemtes.* Verba ut Paulo antè monui, non aliter intelligenda videntur, quàm quod Vandali *circa plagam terræ, qua Mœotis palus diffunditur, ſedes ſuas habuerint*, in confiniis ſcil. terrarum Mœoticarum, ſive in iis, quæ ultra Mœotin ſunt poſitæ, terris. Si enim tantùm ad littora Mœotidis conſediſſent, Rhenum non tam facilè trajicere potuiſſent: debuiſſent certè priùs Sarmatas Iſtulanos, Germanosque, bellicoſiſſimas illas gentes intra regiones, quæ Mœotidem inter & Rhenum interjacent, conſidentes, debellâſſe: quod tamen hìc factum fuiſſe Authores non memorant. Dum autem Procopius Alanos in Societatem expeditionis Vandalicæ adſcitos refert, eo ipſo indicat, Vandalos in conterminiis Alanorum conſediſſe. Horum autem ſedes in noſtra Sarmatia fuiſſe lib. 2. Orb. G. demonſtravimus. W. Lazii [o] ſenſus eſt: Vandalorum primam ſedem fuiſſe *Scythiam*, inde longis itineribus egreſſos ac provincias inter ſe partitos *ad oram maris Balthici*, inter *Oſtia Viſtulæ & Albis* amnium conſediſſe, ubi modò Pomerania Meclenburgum & Pruſſicæ ditiones ſunt. Et quamvis non exigua illorum pars in Hiſpanias Africamque pervenerit, magnam tamen partem eorum domi manſiſſe, à *Danis* dein, *Teutonibusque Principibus* debellatos, eisdem ſe ſubjeciſſe. Mea hac in re ſententia eſt; Vandalorum genuinas Terras fuiſſe illas, quas Sveo-Gothis olim aſſignavimus, hac tamen cum reſtrictione, ut eorum ſedes potiſſimùm ad oram maris Balthici, atque ab hac in mediterraneis antiquæ Germaniæ, (quam à Teutonia Rhenana, ſive quæ Rheno adjacet, diſtingvimus) locis, in quibus lingva Slavonica

*De Vandalorum nativa terra Procopii ſenſus.*

*Alani contermini Vandalis.*

*Wolf. Lazii ſenſus.*

*Authoris ſenſus.*

nica

n lib. 3. Vandal. belli. o lib. 11. de Migrat. Gent.

nica vel Vendica ſeu Verulica primitùs viguit, reponamus; quorum etiam terras ad Occidentem Hermanduros, imò ipſos Bohemos, attigiſſe exiſtimamus. Id nobis ex eo probatur, quod *Ptolomæus*, ex *Vandalicis montibus Albim oriri* dicat, qui cum in montibus Bohemiæ oriatur, eò etiam Vandaliam referendam eſſe neceſſe eſt: atque hinc cum Gothis Svevis aliisque lege Symmachiæ ſeu commilitii unitis populis in Pannonias, Dacias cæterasque Provincias Italicas, Gallicas, Hiſpanicas, imò in Africam excurriſſe Vandalos, ibique ſedes fixiſſe bellicis expeditionibus victores, veroſimile eſt. Quod autem tam varii, variis inter ſe nominibus diſcreti inter Vandalos fuerint populi; factum inde arbitror, ſive quod pars hæc vel illa ſuorum *Principum*: ſive quod *familiæ* alicujus generoſioris, cui ſe ſponte ſubdidit vel adjunxit, nomen aſſumpſerit, vel ab aliis datum acceptaverit.

*Probatur ex Ptolomæo.*

*Unde tam varia Vandalorum nomina?*

## §. VIII.

## *De Populis Vandalicis aliorum ſententiæ proponuntur.*

VAndalicæ Gentes juxta Plinium ſunt: Burgundiones, Vandi Carini, Guttones: His addit P. Diaconus [p] Longobardos: Alii addunt Vinulos, quos tamen à Vandalis diverſos facit modò citatus Diaconus, cui conſentit & Sigebertus, bella horum inter ſe populorum referens. Cluverii ſenſus eſt, Vandalos attigiſſe Codanum ſinum, i. e. Mare Balthicum, ubi illos olim repoſuit Helmoldus, quos tamen nomine Vinulorum complectitur. Hi igitur, inquit, Vinnulorum populi diffuſi per regiones & Inſulas maris. Inſulas hic nullas alias intelligere videtur, quàm quæ ante Pomeranorum & Meclenburgenſium littora jacent, quarum caput Rugia fuit. Hermanuides ibidem locat & Vagrios, Vagrienſeque in Holſatia territorium, ultimam Vandalorum ditionem nominat. Hos è contra excludere videtur Cluverius qui genuinam Vandalorum patriam dicit ab oſtiis Viſtulæ usque ad fluv. Travam fuiſſe tantùm extenſam: in illo autem terræ tractu reponit Herulos Rugios Svardones, Eudoſes, Varinos, Anaſos, Longobardos, Reudingos. Ab his tamen diſterminat *Jornandes* Rugios, quos tamen conterminos Vandalorum facit. Vandalos autem Cluverius alios facit à *Vindelis*, qui olim, ut patet, Vinidi & Venedi dicti fuerunt; hos autem Vindelos tum demum nomen accepiſſe Vandalorum, quando horum agros occupârunt. Parvas omnino has fuiſſe nationes putat exinde, quod nihil notabile de ſingulis dicat Tacitus; junctos autem inter ſe ſocietate unâ, qua in univerſum valenter fuerunt, idem numen, iisdem ritibus, eodem ſacerdote, eodem loco, eodem denique tempore coluiſſe.

*Varii Vandalorum populi juxta Plinium. P. Diaconum. Cluverium. Helmoldum. Vinuli.*

*Vagri.*

*Heruli. Rugii, Svardiones, &c.*

*Vindeli.*

*Reudingos*, quos Cluverius putat *Deuringos* ſeu *Theuringos*, ponit ad Albim, ab occidente Cheruſcos, à ſeptentrione Aviones, Varinos, Svardones: ab oriente Niuthones, à meridie Longobardos. Sedes itaque *Reudingorum* juxta Cluverium erit, *pars Ducatus Lauenburg*, *pars Meclenburg*, *ad Domitz Avionibus*, quos rectiùs Caviones dici vult

*Reudingi Cluverio quinam ſint?*

*Aviones.*

C

[p] lib. 1. c. 2. & 7.

vult, aſſignat terminos eosdem, quos Reudingis à ſeptentrione; ab occaſu brumali Albim, ad confluentem usque Plawa amnis: à ſeptentrione Plavam, & Lacum Muntium, & inde amnem in Havelam profluentem. Juxta hunc Cluverii ſenſum, Aviones poſſeſſores fuerunt portionis cujusdam Marchionatus Brandeburg. qua eſt oppidum Dalmin, item Dannebergenſis Comitatus & partis cujusdam Ducatus Meclenburgenſ. ad Plawæ & Muntii littora protenſi.

*Angli ſeu Angili.* *Anglis* ſeu *Angilis* aſſignat à meridie amnem Plawam & Albim ad confluetem usque Billii; ab occaſu æſtiw, quo contermini fuere Saxonibus, Billium & huic averſum Chaluſum; à ſeptemtrione mare Svevicum; ab ortu ſinum Wiſſomarienſem, inde lacum & flumen, quod prope oppidum Nueſtad in Plawam evolvitur. Regio hæc hodie continetur his finibus: Luneburgenſis Ducatus dimidia pars, dextræ Albis ripæ adfixa, & Meclenburgenſis Ducatus dimidia pars Occidenalis. Hos Anglos, quos Procopius [q] vocat Angilos; eſſe eosdem, qui in Britanniam transgreſſi, Inſulæ nomen dedere, pars eorum habiti fuerunt, Saxones, dictique Anglo-Saxones. Qui ſenſus eſt V. Bedæ [r] & Ethelverdæ Saxonis, dicentium Angliam veterem ſitam eſſe inter Jutarum & Saxonum provincias.

*Varini, & Varni.* *Varinis*, qui Procopio audiunt *Varni*, in antiquis legibus *Verini*: Æthico & Plinio [ſ] *Varri*, Ptolomæo *Viruni*. His modò citatùs à me Cluverius terminos ſtatuit ſeqq. ſcil. ab Occaſu eosdem, quos antea Anglis: à meridie Plawam flumen, & lacum Muntium & ab hujus exitu in amnem, lineam ad lacum usque Tullium, ab ortu amnem Tullium & à confluente ejusdem in Penium, lineam ad fontem Baritii; hinc verò ipſum Baritium, ad mare usque. A ſeptentrione mare, ab oppido Bart ad ſinum usque Wiſſomarienſem. Hos Varnos, patet ex his, poſſediſſe Meclenburgenſis Ducatus partem, quà ſunt oppida *Roſtok*, & *Guskrow*, Partem item Pomeraniæ inter duos amnes *Reconitium* & *Baritium* ſitam.

*Varni an Varmii?* E contra ſenſus cujusdam Neoterici hac in re eſt mihi calamo transmiſſus; Varnorum populum terramque *Varmiorum* hodie eſſe, adeoque antiquam Varniam *Varmiam* eſſe præſentem, exigua commutatione literæ, quæ forte typographorum errore irrepſit. Hunc ſenſum à propoſita alludere materia non putat ille, cum hæc Provincia & antiquitus & etiam nunc Gotho-Sarmatica ſit, è conſequenti Vandalica. H. I.

*Eudoſes.* *Eudoſes* eam incoluerunt Pomeraniæ partem qua oppida ſunt *Baart*, *Stralſunt*, *Gryphſwald*, *VVolgaſt*, *Gytzkow*, *Anclam*, *Treptow*, *Dammym*, item Inſula *Uſedom*, ad quam oſtium eſſe Svevi fluv. (hodie Svine dicti,) creditur.

*Suardones.* *Eudoſibus* vicini fuere *Suardones*, quos eosdem eſſe vult, citatus Auctor, cum *Pharadinis* à Ptolomæo dictis. Hos incoluiſſe dicit ille eam Pomeraniæ partem, qua oppida continet Stetin, Paſwalk, Ukermunde, & Uſedom & Meclenburgenſis Ducatus partem inter Tullium lacum & flumen Havelam ſitam.

*Nuithones.* *Nuithonibus* has ſedes aſſignat, ſcil. partem Marchiæ Brandeburg. qua

q lib. 4. bell. Goth. r in Hiſtor. Angl. l. 1. c. 11. ſ l. 4. c. 14.

qua oppida refert *Prentzlaw*, *Templin*, *Neu-Angermind*. Item Partem Meclenburgenſis Ducatus, qua vicus *Fortenſec* ſitus. Item Pomeraniæ partem, qua pagus *Garts*.

*Carinis*, quos ſolus allegat Plinius c. l. aſſignandos idem putat hos terminos; nimirum ab occaſu amnem Tragum: à ſeptentrione Rugios usque ad Aſciburgum montem ab ortu ipſum montem ad oppidum usque Krainska à Gothonibus poſſeſſum: hinc lineam ad Noteſcam amnem & oppidum Piła ductam & ipſum Noteſcam ad Vartæ usque confluentem. Sicque antiquæ Carinenſæ Terræ, juxta noſtrum Cluverium erunt quædam portiones *Marchiæ* & *Poloniæ*. His annumerat idem *Sidones*, eosque facit principalem Vandalorum gentem, cui tamen nullum aſſignat locum: niſi ipſi ſint illi populi quos Sitones ut 3. c. 43. n. 6. appellat, eosque proximos Viſtulæ facit. Strabo autem [t] illos Amonibus & Peucinis admiſcet. Sunt præter hos apud Authores celebres Vandali, dicti *Silingi*, quorum fit mentio apud *Iſidorum* & *Oroſium* lib. 1. & alios, quibus ſorte obtigit Boetica Hiſpaniæ Provincia.

*Carini.*

*Sidones.*

*Vandali Silingi.*

## §. IX.

## *Sententia Auctoris proponitur.*

MEa de præmemoratis populis ſententia eſt hæc: Ad Vandalos omnino illos pertinuiſſe, maximè quoad *Carinos*, *Varinos*, *Burgundiones* ſufficienti ex Plinio teſtimonio comprobatur. Cæteros verò ut ſunt *Eudoſes*, *Suardones*, *Angili*, *Rugii*, *Longobardi*, *Vinuli*, Heruli, Gepidæ, itidem ad eos referri debere, fuſiùs ex ſeqq. patebit. Nimirum nomina horum Vandalicæ gentis populorum, cùm non ſint Teutonicæ originis, nec Latinæ, multò minus Græcæ, verùm omnia Sarmato-Gothicæ videantur eſſe, multùm probabile videtur, in iis locis prædictos reſediſſe, in quibus lingva Sarmato-Gothica vigebat, ſcil. in Sarmatia Germanica ſeu Gothica de quo lib. 1. Orb. Goth. c. 3. §. 6. Quia vero horum populorum Terras patrias diſtinctè antiquitas nobis non definit; aut ſi quæ Terrarum definitio proponatur ab aliis, ea meris innititur conjecturis, liberum idcirco cuique ſenſum relinquimus, eas illis ſtatuendi ac determinandi Terras, pro quibus probabiliora aderunt argumenta; modò reponantur, in Terra Vandalica, in qua ſcil. lingva Vandalo-Slavonica ſeu Gothica, olim uſu communis fuit. Quod autem nomina illa merè ſint Sarmato-Gothica, probatur ex derivationibus eorundem, quarum quasdam jam ſuperiùs attulimus, quasdam in ſeq. ex Profeſſo fuſius, (ſcil. Longobardorum, Rugiorum, Burgundiorum, Herulorum, Gepidarum, Zuadarum, &c. proponemus. Cæterum nomen *Reudingorum*, vel prout rectius effertur *Redingorum*, Gothicum mihi omnino videtur; cum ex deſinentia in *ingas*, Gothis antiquitus & hodiedum familiariſſima, tùm ex derivatione vocis radicali. Denotat autem iſta vox homines *proficuos* & *utiles*. Probabile eſt hanc gentem quod Principibus ſuis tam belli quam pacis tempore

*Auctoris ſententia de Vandalicis populis*

*Nomina populorum horum Slavonica.*

*Nomen Redingorum unde?*

t lib. 7.

pore proficua fuerit, quodve *fidelibus obſequiis fidisque conſultis* Reipubl. Vandalicæ utilem ſe præſtiterit; inde nomen Redingorum accepiſſe. Quos ego non puto eſſe *Thuringos* illos, prout vult Cluverius Teutonicos, quippe illi alias incoluerunt terrarum oras. Scimus quidem, quod & aliis meritò videtur, Thuringos Anglis & Verinis admixtos fuiſſe; idque ex antiquis Germanorum legibus ſatis probari; in quibus ita reperimus ſcriptum: *Incipit Lex Anglinorum & Verinorum & Thuringorum.* Exinde tamen minimè ſequi putamus, Thuringos, eosdem cum Verinis & Anglinis antiquitus terras nativas habuiſſe. Illud ſanè fieri poterat, ut eo tempore Thuringi, quo ſub Saxonibus Franciſque has oras bello occupârunt, inter Verinos conſederint, iisque ſingulares præ cæteris leges & jura Principes conceſſerint. Sicut in *Pruſſia* diverſa reperimus jura; ibi *Jus Culmenſe*, illic *Saxonicum*, alibi *Lubecenſe*, alibi *Magdeburgenſe*, hic valet *Polonicum*, ibi *Prutenicum*, prout ſcilicet coloni ad colendos agros Ordini Teutonico ſe ſubdiderunt, modò ex his, modò ex aliis advenæ provinciis: adeoque & jura quisque ſibi nota & placita à Principibus petiit & obtinuit. Terras autem illas, quæ Redingis aſſignantur terras fuiſſe Vandalicas, extra controverſiam eſt; cùm in iis locis reliquiæ Vandalorum, quos Vendos nunc vocanus, & qui lingva hac Vandalica adhuc utuntur, reperiantur.

*Non ſunt Thuringi.*

*Diverſa in Pruſſia jura.*

*Avionum nomen unde?*

*Avionum* nomen, quod genuinum eſſe mihi perſuadeo, non Cavionum; denotat *homines, quibus multitudo ovium eſt.* Nimirum hæc Vandalorum gens his ſe præcipuis facultatibus ſuſtentabat; & ut aliis pecus in pecuniam; ita his oves in vicem pecuniæ tranſierunt. *Anglorum* Nomen itidem agnoſcit Sarmato-Gothicam lingvam, Parentem ſuam; denotat enim *ignei ſpiritus homines*, à voce *Anglis*, quæ vox communi ſenſu ſignificat *Prunas* & *Carbones.* Et Anglorum gentem ferrore Martis celebrem narrant veterum hiſtoriæ. A Ptolomeo annumerati ſunt *Svevis*, *ipſique ſunt orientaliores quam Longobardi verſus ſeptentrionem, usque ad medium Albis.*

*Angli nomen unde?*

*Varnorum nomen.*

*Varnorum* nomen veniſſe mihi videtur à fluv. Varnaw; hujus autem nomen à voce Varna, quæ cornicem denotat; ideo, quod antiquitùs & hodiedum apud eundum fluvium & circa Roſtochium incredibilis fere cornicum copia reperiatur. Sentio inſuper hos Varnos dictos fuiſſe *VVerinos* & *Varinos* à *Variu*; i. e. *expello*, vel *compello*; ſcilicet ſolenne illis fuerat, marti idoneos juvenes ad expeditiones bellicas compellere, prout in Gothiæ Sarmaticæ nonnullis partibus adhuc moris eſt. Quo in ſenſu confirmor ab Authoribus Romanæ Hiſtoriæ, in qua legimus, quod expediti Gothorum & Vindal. ſeu Vandalorum milites non alio, niſi nomine *plebis* & *vulgi* venerint. Vid. Tacitus [u] Amn. Marcell. [w] *Eudoſum* ſeu potius *Eidoſum* nomen lingvâ itidem Sarmatica denotat *pedeſtrem militem* à voce *Eidu* i. e. *pedeſter eo*, inde adhuc certum militiæ genus apud Sarmatos Lietvanos Nadravos, Zalavonas, Curones Zamogetas vocatur *Eidones*, *Eidukkei*, *Eidoſei*, (Polonis *Haiduki* dicuntur, unde à nonnullis Latinis ſcriptoribus hiſtoriæ Polo-

*Unde Varini dicti?*

*Eidoſum nomen unde?*

u Annal l. 1. & 2. w lib. 16. & 27. & l. 31.

Polonæ *Haidones* proferuntur. Hi parati ſunt & pedites & equites munus militum exequi. Vulgus Teutonicum hodiè, vocat Tragunos, (Poloni *Draganos*, & in Latina Polonorum hiſtoria *Draganarii* dicuntur, quibus mos eſt præliandi etiam nunc ſimilis. Verùm antiquiſſimus noſtrorum Germano-Gothorum pugnandi modus fuit,

*Pugnandi modus apud Gothos.*

*equeſtribus prælii ſæpe ex equis deſilire, ac pedibus præliari,*[x] *equis ſuis relictis, hoſtium equos ſubire, ventres eorum fodere.*[y] *Tantaque fuit horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent.*[z]

*Suardonum Nomen unde?*

*Svardonum* nomen, quod ſcribendum puto *Suvardonum*, eandem habet, quam *Varinorum* nomen derivationem, ſcil. *Suwaridones* Nadravis Zamogethis Lietvanis ſunt, qui *cum aliis compulſi erant ad expeditiones bellicas*, atque tali nomine hos populos gaviſos fuiſſe patet ex hodierna apud Sarmatas praxi, quam modò innuimus. Hæc veterum populorum nomina non ſemper inferre putandum eſt certas provincias aut diſtinctas nationes; ſed ſæpiùs denotare officium vel aliquod certæ militiæ argumentum: quod cum Authores antiqui, Lingvæ Slavonicæ ignari, ignoraverint, hanc in nominibus perplexitatem induxerunt.

*Nuithones unde dicti?*

*Nuithones* exiſtimo vocatos fuiſſe a ſimili argumento quo Samogethæ Anno 1657. *Lelokai* à Zalavonis appellati ſunt. Scilicet à *voce ſonora*, qua in collocutionibus, quaſi vociferantes uſi ſunt, Id noſtra vox *nuithi* ſignificat apud veteres Pruſſos. Et ab hoc argumento nonnulli in Nadravia & Zalavonia nomen tale Nuithorum acceperunt, & adhuc retinent. Vinarum & Vinulorum nomina ſuperiùs expreſſimus ſimulque eorum derivationes propoſuimus. Hos autem populos ad noſtros autem referendos eſſe Sarmatas, exinde patet, quod eorum nomina noſtrorum majorum tempore adhuc duraverint, & ad noſtros Sarmatas, quibus communis lingva, ritus moresque iidem cum illis fuerunt, relati ſint. Probatur id ex Auctore ſeculi XIV.

*Meſtovinus Vinarum Burgrabius.*

Petro à Dysburg. Ordinis Teutonici Presbytero,[a] qui *Meſtovinum*, Swentopolci *Pomeraniæ* Principis *filium* primogenitum memorat *Vinarium Burggrabium.* Cum autem Meſtovinus terras Pomeraniæ Caſſubiæ, partemque Poloniæ ſuo ſubjectas habuerit regimini, nullos alios intelligendos eſſe Vinarum populos, quam noſtros Polonos Pomerellos Caſſubiosque probabile eſt. Comprobatur id ex privilegio à Sventopolcó cæterisque Pomeraniæ Ducibus his locis dato, in quibus Vinarum frequens ſit mentio. Videantur Privilegia Olivenſia.

*Vinetæ.*

Certè *Vinas* & *Vinetas* in his ad mare Balthicum oris, ſcilicet Pomeraniæ reſediſſe palàm ex eo eſt, quod adhuc in mari, cum ſudum eſt reliquiæ urbis *Vinetarum* ad littus Pomeraniæ, mari abſorptæ conſpiciantur.

*Eorum potentia.*

Magnæ profectò potentiæ debuit fuiſſe illa civitas, quæ cum potentiſſimo Danorum Rege bella gerere valuit: Procul dubio ſatis ampla ad illam pertinuiſſe territoria: atque ad Viſtulam usque ſuas colonias extendiſſe probabile eſt. Quippe Jornandes de Vinedis ſeu potiùs Vinetis refert, quod populoſa fuerit natio & ad Viſtulam per immenſa

D terra-

x Cæſar. Com. 4. de German. y Plutarch. in Craſſo. Appianus in Syriac.
z Jul. Cæſ. c. l. a In Chronic. Pruſſ. part. 3. c. 39. pm. 138.

terrarum ſpatia conſederit. Nomina autem Vinetæ Vinidæ communiſſima apud Sarmatas præprimis Nadravos Zalavonos, Zamogetas Lietvanos &c. flexione deſcendunt à *Vina* vocabulo, quo denotatur à vinis dependentia populi. Certè cum Vandalis eosdem fuiſſe comprobatur ex eo, quod Principes, qui debellârunt Vinas & Vinetas ſe non aliter olim & nunc vocaverint quam Principes Vandalorum. Ita hodiedum *Sveciæ & Daniæ Reges, Principes Pomeranorum, Marchiones Brandeburgici*, & alii.

Carini. *Carinorum* nomen itidem eſt Sarmaticum à Karas i. e. bellum. *Carini* ſunt dicti, quod ſcilicet *expeditionibus bellicis diſtenti* fuerint. Barbara hujus populi Romanis ſemper viſa fuit lingva, è qua ſi unum vel alterum nomen militibus his vel illis inditum audierint, ſtatim nationi illud tribuerunt, quod alicujus alterius certè fuit argumenti. Sidones. *Sidones* puto eſſe gentem *Sedinorum*, ſcil. quos nunc Stetinenſes vocamus. Sedinorum tamen nomen ab antiquo adhuc usque remanet. Nomenque illud itidem Sarmaticum eſſe ſentio, proveniens à *Sediju Sedinnu, posſidere*, quo nomine *Sedini* notabantur idem quod *poſſesſionati*; prout in Polonia *Ziemianie* audiunt *nobiles* quaſi *terreſtres*, qui territoria certa, certas terras poſſident. Et certè adhuc in noſtra Pomerania, Pruſſia, aliisque Sarmatiæ Provinciis talia eſſe bona videmus è quibus poſſeſſores certum militum numerum in motu Regni publico alere tenentur. Sidones hi nullo modo mihi videntur illi, qui aliàs *Sudones* vel *Suthones* dicti ſunt, de quibus Strabo c. l. Hi enim ad Viſtulam non ad Oderam, cujus accolæ Sedini fuerunt, habitârunt. Nobis conſentit *Ptolomæus*, qui in Germaniæ deſcriptione ita inquit: *Lugi qui & Buri dicuntur usque ad Viſtulam amnem, ſub his autem Primi Sudones; dein Cogni.* Deniqúe *Silingorum* nomen tale eſt, quale eſt Carinorum, denotatque potentes ſcil. *Potentiores* Vandali dicti ſunt *Silingi Vandali.* Ejusdem nomini fuit territorum quoddam in Pruſſia à potentia ſic dictum. Et hanc Silingorum in Pruſſia potentiam formidârunt Ordinis Teutonici Magiſtri, qui non niſi valido cum exercito, eorum terras ingredi & aggredi auſi ſunt. Henneb. in Explicat. Titul. Pruſſ. voce Sudaw. Hæc quæ de modò dictis populis diximus, dicemus & probabimus ſeqq. Capitul. de Herulis, Burgundionibus, Rugiis, Gepidis, &c.

Quæſtionem hic monet Cluverius c. l. *quî factum ſit, cum & Gothones & Burgundiones, Heruli, Rugii, Angli, Varini & Longobardi à Vandalis in expeditionibus bellicis plerumque diſcreti, ſuisque propriis ab exteris nationibus appellati ſint nominibus, peculiari tamen nomine dicti ſint Vandali?* Reſpondetque; omnes illas Vandalorum nationes ſupra nominatas, primùm pro ſe ſuarumque in exteras regiones feciſſe expeditiones, ideo diſtinctas à ſe invicem obtinuiſſe appellationes. Deinde verò conjunctim uno corpore ſeu una gente, uti domi erant profectas, unum idemque Vandalorum nomen accepiſſe. Salvâ viri hujus doctiſſimi auctoritate, exiſtimo hos populos, quos nationibus diſterminat, ſæpiùs obtinuiſſe nomen, non tam *gentis* vel *nationis*, quàm potiùs certi alicujus in expeditionibus illis *officii* diverſum, prout modò dixi-

diximus. Cenſeo inſuper Gothorum nomen Vandalorum nomine longè amplius extitiſſe: id quod Auctoritate Procopii,[b] facilè probatur, ubi inter alia hæc habet: *Honorio Occidenti Præſidente, barbari illius rei invaſerunt regionem. Qui verò fuerint, & quomodo, dicam: Gothicæ gentes multæ quidem, & aliæ, priores fuere quam nunc. Omnium autem maximæ & potentiſſimæ Gothi & Vandali & Viſigothi & Gepedes, jam dudum & Sarmatæ & Melanchlæni adpellati qui omnes nominibus inter ſe differunt, cætero conveniunt, ſimiliter voce unica, Gothica appellata utentes, & ut mihi ſanè videtur, ex una omnes gente procreati, nomina poſtea ab eorum Ducibus varia ſortiti.* Deduco ex his primò Gothicum nomen generalius fuiſſe Vandalico. 2do. Linguam Vandalicam fuiſſe Gothicam. 3tio. Illamque proinde, ſiquidem Gothi Sarmatæ fuerunt Sarmaticam fuiſſe. 4. Gothicos hoſce populos varias ex variis ſortitos fuiſſe appellationes, ſcil. vel ex nomine Ducum, vel ab alio eventu vel placito. 5to. Gothicum nomen ſucceſſiſſe in locum nominis Sarmatarum, ut qui priùs Sarmatæ dicti ſunt, poſtea ſint dicti Gothi. Hinc patet, quantum aberrent, qui Gothos Teutones faciunt cum tamen à Sarmatis ſemper longè habiti ſint diverſi.

*Gothi Sarmatæ.*

*Gothi non ſunt Teutones*

## §. X.

## *De Vandalorum Expeditionibus Bellicis.*

*Expeditio Vandalorum ad Danubium I.*

VAndali ex finibus Sarmatiæ ad Viſtulam fluv. in *Auſtrum* profecti ad *Danubium* ſe primùm contulerunt contra *Ortum*; ubi Daciam occupârunt, inhabitâruntque. Hoc atteſtante Jornande in hiſtoria Gothorum, cùm de Geberico Gothorum Rege tractat. *Nam is*, inquit, *Hildericlo patre natus, avo Ovida, proavo Cnivida, gloriam generis ſui factis illuſtribus exequavit, primitias regni ſui mox in Vandalica gente extendere cupiens contra Viſumar eorum Regem ex Aſdingorum ſtirpe, quæ inter eos eminet, genusque indicat bellicoſiſſimum, Deuxippo Hiſtorico referente, qui eos ab Oceano ad noſtrum limitem vix in anni ſpatio perveniſſe teſtatur, præ nimia terrarum immenſitate. Quo tempore in eo loco manentes, ubi nunc Gepedæ ſedent, juxta flumina Mariſia, Muliare, Gilvil & Chriſia, qui omnes ſupra dictos excedit. Erant namque illis tunc ab Oriente Gothi, ab Occidente Marcomanni, à Septentrione Hermunduri, à Meridie Hiſter, qui & Danubius dicitur. His ergo Vandalis commorantibus bellum indictum eſt à Geberich Rege Gothorum, ad littus prædicti amnis Mariſiæ, ubi tunc diu certatum eſt ex æquali. Sed mox ipſe Rex Vandalorum Viſumar magna cum parte gentis ſuæ proſternitur. Geberich vero Ductor Gothorum eximius, ſuperatis deprædatisque Vandalis, ad propria loca, unde exierat remeavit. Tunc perpauci Vandali, qui evaſiſſent, collecta imbellium ſuorum manu infortunatam Patriam relinquentes, Pannoniam ſibi à Conſtantino Principe promiſſam petiere, ibique per quadraginta annos plus minusve ſedibus locatis Imperatorum decretis, ut incolæ famulârunt.* Hæc Jornandes. Ex quibus conſtat, (1.) Vandalos in Daciam primùm expediviſſe militiam. (2.) ibidem ad fluvios Meriſch. Keres, Milen-

b lib. 3. Goth.

Milenbach, Guila ad tempus commoraſſe. (3.) Cum Gothis ibidem conflixiſſe & ſuperatos fuiſſe. (4.) Gothos in Dacia ſatis ampla Territoria Tempore Conſtantini habuiſſe. (5.) Gothos in locum Vandalorum ſucceſſiſſe. (6.) Vandalos Exinde in Pannonias abiiſſe. Et hæc prima Expeditio Vandalorum fuit.

II. Secunda Expeditio in Pannoniam.

*Secunda* in *Pannoniam* memoratur, quam non tam armis, quàm precibus, ſi Jornandi credendum eſt, obtinuerunt. Et ad quadraginta circiter annos poſſederunt, Romanorum Impp. decretis famulantes.

III. Expeditio in Gallias.

*Tertia* celebratur expeditio in *Gallias*, Auctore *Stilicone* homine Gotho-Vandalo. Ao. Chr. 407. de qua Joannes Damaſcenus ſupplementi Eutropiani Auctor hæc habet: *Interea* inquit, *Stilico Patricius Vandalorum perfidæ & doloſæ gentis genere natus, Euchenis, ut dictum eſt, filium iam à puero Chriſtianorum perſecutionem meditantem, ut in Imperium ſubſtitueret, ante biennium Romanæ irruptionis gentes copiis viribusque intolerabiles, hoc eſt, Alanorum, Svevorum, Vandalorum, Burgundionum, multasque cum his alias gentes, ultrò in arma ſuſcitavit: & mox Rhenum fluvium transeunt, Francosque fugare Gallia volunt: directoque impetu Pyrenæum usque perveniunt, ut ſub hac neceſſitate à genero in filium extorquere poſſet imperium.* Dux expeditionis hujus variat Authoribus. Laſius lib. II. *Godogeſtitum* nominat, primum Vandalorum Ductorem in Gallias, Damaſcenus *Modogerlum*, qui *Alanis* ſibi ſociatis, & *Francis* aliisque accitis Rhenum transgreſſus, Gallias exercitu ingenti inundavit. De eo Hieronymus[a] ita ſcribit: *Quicquid inter Alpes & Pyrenæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Henili, Saxones, Burgundiones, Alemanni & Hoſtes Pannonii vaſtârunt.* In hac Provincia non ita diu permanſerunt, pulſi enim à Gothis aliò ſe contulerunt. Anno Chr. 409.

IV. Expeditio Vandalorũ in Hiſpaniam.

*Quarta* fuit in Hiſpaniam, quam occupârunt, atteſtantibus Caſſiodoro & Proſpero in Chronicis & quidem accitis Alanis, Svevis &c. ut Iſidorus & Oroſius lib. 7. c. 7. referunt: ſicque Hiſpaniam inter ſe partiti, Alani Luſitaniam & Carthaginenſem Provinciam, Vandali à cognomento Silingi Boeticam ſorte & Gallæciam poſſederunt. Laſius refert, quod ab his Vandalis regio quædam Hiſpaniæ *Vandaluſia* dicta olim, modò audit *Andoluſia*. Huc alludit Sidonius in Panegyrico ad Anthonium.

Vandaluſia nunc Andaluſia.

*Axe meo natam confeſtim fregit in illo*
*Imperii fortuna rotas: hinc Vandalus hoſtis*
*Urget & in noſtram numeroſa claſſe quotannis*
*Militat excidium, converſoque ordine fati*
*Torrida Tuniſeos infert mihi Byrſa furores. &c.*

V. Expeditio in Africam.

Sed nec hic diu perſiſtere valuerunt, preſſi tum à Gothis, tum à Romanis multis fatigati incommodis: hinc ſuaſore *Bonifacio* Præſide in Africa Romano, quem *Ætius* falsò apud Imperat. Roman. detulerat, in Africam trajiciendi commodam arripuerunt occaſionem. Lybiaque occupa-

a. Epiſt. II.

cupatâ, totam pene Africam ferro flammâ rapinisque crudeliſſimè devaſtârunt. Inſuper Catholicam fidem Arianâ hæreſi ſubvertentes à Romano Imperatore *Valentiniano* clade quâdam per *Tigretium* affecti ſunt: ſed mox iterum ſe recolligentes pacem à Romanis facilè impetrârunt. Et dominium in Africa, Rege *Genſerico* obtinuerunt, magna cum Catholicorum perſecutione. Quæ teſte Joanne Damaſceno [a] nonaginta annos ibidem duravit. Hic Genſericus totum (Verba ſunt Victoris in libro de perſecutionibus Vandalicis) Africæ ambitum obtinuit; nec non & Inſulas maximas, *Sardiniam, Siciliam, Corſicam, Ebuſam, Maioricam, Minoricam* aliasque multas ſuperbiâ ſibi conſvetâ defendit. *Siciliam Odoacro* Italiæ Regi poſtmodum tributario jure conceſſit, aliquam tamen ſibi reſervans *illius partem*. Ex his etiam oris excedere coacti ſunt tali occaſione. *Juſtinianus* Roman. Imperator, ab Epiſcopo quodam Orientali, cui à DEO viſio facta eſt, præmonitus, ut bellum Vandalis in Africa inferret, quare collecto exercitu miſit eò Beliſarium, cum Procopio, qui commeatu Syracuſis ſibi parato, omnibusque ritè diſpoſitis, Carthaginem, quæ Metropolis Africæ, Gilimeri Reſidentia fuit, noctu non advertente Gilimere, ingreſſus, feliciter cepit. Elapſus inde tamen Gilimer illa die ad Mamſios properans, in parvo monte, ad extrema Numidiæ concluſus, Beliſario ſe tradidit. Secutæ ſunt aliæ regiones Carthaginem, nec non Inſulæ juxta Oceanæ ſupra memoratæ. Atque hic fuit exitus Vandalicarum expeditionum in Africa.

*Genſericus Vandalorum Rex.*

*Vandali Africâ expelluntur.*

Denique Vandalorum *ad Mare Balthicum* & continentem Germaniæ veteris terram non contemnendæ fuerunt expeditiones. Hi nam Saxonibus maximè infenſi multis eos cladibus primitus affecerunt; qui deinde collectis undique viris viribusque excurſiones Vandalorum inhibuerunt; ſimulque Hamburgum propugnaculum terrarum Saxonicarum condiderunt. Poſt hæc Carolus M. diuturum cum illis bellum geſſit eosque ab excurſionibus ſolitis non prius abſterrere potuit, quàm Ansgarii Epiſcopi & Merconis Altenburgenſis opera, Chriſtianâ Vandali imbuerentur doctrinâ. Rebellârunt tamen ſub Ottonibus Impp. ab Ungaris, ut aliqui volunt, exciti, fidemque Chriſtianam abnegârunt. Ad quas cum Ottonis III, armis, tum Præſulum Altenburgenſium. (i. e. Stargardenſium) prædicatione tandem rediere.

*VI. Vandalorum Expeditiones ad Mare Balthicum.*
*I.*

*Poſtrema fuit Vandalicæ gentis* Expeditio ſub *Henrico IV.* Imp. Rom. circa Annum Chriſti MLXVI. quo tempore Vandali Hamburgo expugnato, excurſionem in Daniam usque fecerunt, cujus Rex cognomine Magnus certior factus, eos repreſſit, ac claſſe inſtructa, Vandalos ad Mare Balthicum, in Meclenburg. & Pomeraniæ Ducatibus exiſtentes vicit, Chriſtoque reddidit, paucis admodum reliquiis ex tam copioſa gente reſtantibus, quas Pomeraniæ, dein Caſſubiæ Slavinorumque Principes ſibi ſubjecerunt. Et hæc eſt cauſa, qua Principes Daniæ Pomeraniæ Brandeburgenſes ſe Principes Vandalorum appellent. vid. Lazius lib. II.

*Vandali Hamburgum expugnant.*

E §. XI.

a In ſupplemento Eutr. lib. 16.

## §. XI.

### *Reges Vandalorum recenſentur.*

Reges Vandalorum.

EXactum Regum Vandalorum, in patria terra commorantium catalogum, cum gens hæc omni deſtituta politie, deſtituta literis olim fuerit, afferre nobis non licet. Qui tamen ex ſcriptis Autoribus qui bella hujus gentis in exteris Provinciis geſta narrârunt, nobis præ cæteris innotuêre, ſunt referente Lazio & aliis ſequentes.

*Viſimar* ex Aſdingorum ſtirpe Vandalica natus, circa Ann. Chriſti CCCXXIX primus Rex Vandalorum celebratur. Hic cum Gothis infeliciter in Dacia conflixit, à quibus victus, & Daciâ expulſus interiit. Jornandes.

2. *Carocus*. Vixit Theodoſio Imperante, bellicoſus Princeps, prouti ipſum nomen præ ſe fert; depopulatus Teutoniam, & Moguntiâ expugnatâ, primus in Pannoniam ſuam traduxit gentem.

3. *Gothogeſikus*. aliis *Gothogeſitus*. tempore Honorii Imperat. ex Panoniis in Italiam ad deinde in Galliam poſtremò in Hiſpanias arma intulit. Floruit circa Ann. Chriſti CCCCXIX.

4. *Mudrogiskus* aliis *Modogisklus*. in Hiſpania rerum potitus, Vandalos ſuos rexit feliciter, cui ſucceſſerunt in regno feliciter, Gundaricus & Genſericus.

5. *Gundarico* ſine prole decedente, *Genſericus* primus rerum iin Africa potitus eſt. Princeps Arianus & ingens Catholicorum perſecutor, cujus immanes perſecutiones Victor lib. 1. Perſecut. Vandalic. deſcripſit. Huic ſucceſſit.

6. *Gendus*, aliis Gento filius, qui à Patruo Hunrico regno pulſus, in exilio obiit ſine liberis. Poſt hunc Africanis Provinciis præfuit.

7. *Hunricus* Rex itidem Arianus, & ingens Catholicorum hoſtis quem excepit.

8. *Gundabandus* circa A. Chr. 463. poſt hunc

9. *Thraſimundus* A. Chr. 484. Hunc ſecutus eſt.

10. *Hildericus* filius, qui factus Catholicus, Eccleſias reformavit. Hujus filius fuit.

11. *Gilimer* Rex Juſtiniano Imperante à Beliſario captus exclamavit: *O Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas!* Ea propter cuſtodia liberatus, quod fortunam ita æquo animo tuliſſet, & aliquot inſuper prædiis in Galatia ab Juſtiniano Imperatore donatus eſt. Poſt hunc

12. *Vinitarius*, à reliquiis Vandalorum in Regem electus, à Juſtiniano defecit. Hic dolo pacis à Beliſario interemptus, Vandalico regno finem impoſuit.

CA-

# CAPUT II.

## *De Gepedis.*

### §. I.

### *De Gepedarum Nomine, ejusque Derivatione.*

GEpedarum nomen Authoribus rerum Gothicarum celebre, multùm quoque variat. *Gepedæ* audiunt Procopio, Paulo Diacono, Sarnicio & aliis. *Gepidæ* & *Gepedæ* & *Gepedani.* Eraſmo Stellæ, *Sigepedæ* & *Ganipoti*, Bretchio, *Jeſ-pedæ.* Lazius putat Gepedas dictos quoque fuiſſe *Chetvaros*; poſtquam in Pannoniæ finibus inter Jazyges & Marcomannos conſederint. Derivatio hujus nominis non minùs varia eſt. Jornandes vult illud nomen derivari à voce Gothica *Gepanta*, quod pigrum ſignificat atque tardum. Nam Gothos dicit, è Kanzia tribus navibus egreſſos, quarum trium una navis tardiùs vecta nomen genti fertur dediſſe. Huic aſſentire videtur Lazius lib. II. qui vocem gepanta fortè deſcendere putat à vocibus illis Teutonicis: **Geh' bald** L litera pro N imutata. Solent enim Teutones tardum hominem, ut feſtinet adhortari, dicentes: **Geh bald.** Hæc ſententia nobis non placet. Uti enim Jornandæa illa migratio debili nititur fundamento, ut lib. 1. c. 4. §. 4. p. 36. probavimus: Ita incongruum videtur homini ſenſato dicere; tantam Gothorum multitudinem, tot populis diverſam, tribus tantum navibus è Scanzia exceſſiſſe, quarum tertiam navem, quod tardiùs progreſſa fuerit, nomen toti populo tantæque nationi, idque tam probroſum ac infamè dediſſe. Undè hæc velim Jornandi? Certè talia Hiſtoricum ſine prodromo probatæ Auctoritatis referre minimè decorum putamus. Neque ipſum nomen Gepanta, ad quod appellat Jornandes, nomini Gepedarum derivationem infert, quippe populus hic non Gepantæ unquam, ſed Gepedæ & Gepidæ audierant. Neque hìc conjectura Lazii recipienda; ſecundùm quam noſtri Gepedæ appellandi forent *Gepaldæ.* Probabilior videtur Bretchii & Stellæ appellatio, tanquam ad idioma Gotho-Sarmaticum propiùs accedens. Denotat enim *Sigepeda, Ordinarium Curſorem peditem Jeſ-peda* vero hominem *pernicitate pedum gaudentem.* Et tale quid de his populis eorum vicinis Tacitus cl. refert, prout ſupra inuimus. *Ganipotæ* nomen puto eſſe fictitium, ſcilicet in probrum huic Nationi ab hoſtibus datum, exprobrantibus illorum ebrietatem. Denotat enim vox *hominem ebrietati deditum.* Quare & Stella pro voce *Ganipota*, interpretando ponit *Sitientes.*

*Gepedarum nomen variat.*

*Unde Gepedarum nomen?*

*An à Gepanta?*

*An à* **Geh bald?**

*Sigepedæ. Jeſpedæ. Ganipotæ.*

### §. II.

### *De Origine Gentis Gepedarum.*

ORigo Gentis hujus varia quoque eſt Authoribus *Jornandes* ex vagina illa gentium, Scanzia ſcilicet prout Gothos omnes, ita & Gepedas

*Origo Gepedarum.*

das deducit, quem cæco obſequio multi obſequio ſequuntur. Mox dicit Scythiam horum hominum eſſe Patriam, *quæ longè ſe extendens, lateque aperiens habet ab Oriente ſeres, in ipſo ſui principio ad littus maris Caſpii commanentes: ab Occidente Germanos & flumen Viſtulam. In qua Scythia,* inquit ille, *prima ab Occidente Gens ſedet Gepidarum, quæ magnis opinatisque ambita fluminibus. Nam Tiſianus per aquilonem ejus Chorumque diſcurrit: ab Aphrico verò magnus ipſe Danubius, ab Euro fluvius Tauſis ſecat, qui rapidus & verticoſus in Iſtri fluenta furens devolvitur. Introrſus illi Dacia eſt, ad Coronæ ſpeciem arduis alpibus emunita.* Mox idem Auctor Gepedas ex *Gothorum Proſapia* deducit. Strabo [a] illos *Iſtriam* verſus collocat, adque *Cimbros* refert, cum quibus in acie ad *aquas ſextiar* ſtabant. Nos originis Gothos Sarmaticas fuiſſe certò perſuaſi ſumus ex Procopio, Hiſtorico citra controverſiam optimo qui ita, *Gothicæ*, inquit, *Gentes, multæ quidem--- omnium maximæ Gothi & Vandali--- & Gepedes--- jam dudum Sarmatæ appellati.* Idem ibidem addit, quod Gepedæ cum Gothis, Vandalis voce una, *Gothica* appellata, uſi ſint. Nec diffitetur Jornandes; *Gepidæ*, inquiens, *ſine dubio ex Gothorum proſapia ducunt originem.* Alibi idem vocat Gepedas *Gothorum conſanguineos.*

*Gepedæ Gothi.*

## §. III.

## *De primis Gepedarum ſedibus in Sarmatia ſive de Gepedis ad Viſtulam.*

*Gepedæ in Scythia.*

GEpedæ, prout Scythiæ populus eſt habitus; ita primam Gepedarum Patriam, Scythiam cum Jornande facimus. Ex hac Scythia dein progreſſi ſunt ad loca Sarmatiæ noſtræ ſcilicet ad ripam Viſtulæ. Ita Jornandes. *Hi ergo*, inquit, *Gepidæ tactæ invidia dudum ſpreta Provicia illa commanebant in Inſula Viſtulæ amnis; vadis circumacta, quam pro patrio ſermone dicebant Gepedas. Nunc eam, ut fertur, Inſulam gens Vidiaria incolit, ipſis meliores terras meantibus. Qui Vidiarii ex diverſis nationibus, ac ſi in unum conſilium collecti ſint, & gentem feciſſe noſcuntur. Ergo ut dicebamus Gepedarum Rex Faſtida, qui etiam gentes excitans, patrios fines per arma dilatavit, Burgundiones pene ad internecionem delevit, aliasque nonnullas gentes perdomuit. Gothos quoque malè provocans, conſanguinitatis fœdus prior importuna conteſtatione violavit: ſuperbaque admodum elatione iactatus, creſcenti populo, dum terras cupit addere, incolas patrios reddidit rariores.* Hæc Jornandis relatio ſequentia nobis proponit. (1.) Ad Viſtulam Inſulis Verderianis, ſcilicet Marieburgenſi & Dantiſcana (vulgò Zulavis) ſediſſe noſtros Gepedas. (2.) Commixtos iis fuiſſe Burgundiones Gothos aliosque populos. (3.) Potentem populum fuiſſe Gepedas, adeò ut Burgundiones debellârint, aliosque multos populos perdomuerint, quin etiam ipſos Gothos provocârint. (4.) Gothos ibidem reſidiſſe ſed majore potentia poſſeſſas oras tenuiſſe. (5.) Unius gentis Gepedas cùm Gothis fuiſſe, cum Gepedæ Gotharum conſanguinei

*ad Viſtulam.*

*Faſtida debellat Burgundiones.*

a. lib. 7.

nei appellati ſunt. (6.) Gepedas alias terrarum oras quæſiviſſe vel occupâſſe. Itaque poſt Scythiam communem multorum populorum patriam prima illis erat noſtra Sarmatia ad Viſtulam patria.

## §. IV.

## *De Sedibus Gepedarum in Dacia, Dalmatia, Pannonia.*

GEpedæ, Duce Faſtida, vaſti Principe animi, ab oſtiis Viſtulæ ad fontes fluvii ejusdem, ejectis inde ac debellatis Vandalis, qui ante Gepedas has oras incoluerunt, teſte Jornande [a] usque ad fines Daciæ, (quæ à Gepedis Dominis, Gepidia dicta fuit) imperium armis victricibus dilatârunt. *Gepedæ in Dacia.* Ita enim Jornandes c. l. cùm de Dacia loquitur: *Corillus Gothorum Rex in regnum conſcendit, & per quadraginta annos in Dacia ſuis gentibus imperavit. Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum populi poſſidere noſcuntur. Quæ Patria in conſpectu Mœſiæ ſita trans Danubium corona montium cingit, duos tantùm habens acceſſus, unum per Bonthos, alterum per Thabas. Hanc Gothiam, quam Daciam appellavere maiores, quæ nunc, ut dixi, Gepidia dicitur, &c.* *Dacia Gothia & Gepidia dicta.* Cum verò Hunni dein, Attila Rege imperante, Gepedas in Dacia vexarent, Gepedæ tamen, tam armorum vi, quam ingenii reſtiterunt Attilæ, quod palàm eſt ex eo, quòd non tantùm loca plurima ibi retinuerint, ſed Attilam quoque ipſum in conſanguinitatem ſuam adſciverit Gepedarum Rex Ardaricus, filiâ ſuâ Chrymihildâ Attilæ in uxorem oblatâ & deſponſatâ. *Gepedæ reſiſtunt Hunnis.* *Mors Attilæ.* Sed qui priùs ſanguine ob iræ vehementiam, aut nimium vini potum exundante ſuffocatus fuit, quàm eodem ſanguine Ardarici Regis familiæ conjunctus fuerit; ipſis enim nuptiarum ſolenniis expiravit. Quo mortuo, Ardaricus Rex adſcitis ad ſe illis populis, quos Attila oppreſſerat, jugo Hunnico abjecto, ſe populumque ſuum in libertatem reſtituit, totius factus Daciæ Princeps. Id ſimiliter Jornandes refert, ubi de ſtatu Roman. Reipublicæ poſt interitum Attilæ loquitur. *Ceſſere*, inquit, *Hunni, quibus cedere putabatur univerſitas: adeò diſſidia pernicioſa res eſt, ut diviſi corruerint, qui adunati viribus territabant. Hæc cauſa Ardarici Gepidarum felix adfuit, diverſis nationibus, qui Hunnorum regimini inviti famulabantur: eorumque diu mæſtiſſimos animos, ad hilaritatem libertatis votivam erexit. Venientesque multi per Legatos ſuos ad ſolium Romanorum, & à Principe tum Marciano gratiſſimè ſuſcepti, diſtributas ſedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepedæ Hunnorum ſibi ſedes viribus vendicantes, totius Daciæ finibus, veluti victores potiti; nihil aliud à Romano Imperio, niſi pacem & annua ſolemnia, ut ſtrenuiſſimi viri, amica pactione poſtulavere. Quod libens tunc annuit Imperator; & usque nunc conſuetum donum eſt.* *Hunni debellantur à Gepedis.* Hæc ille: Tractus verò terræ, quam Gepedæ incolebant tunc, fuit *Segedinum* circa & *Sirmium* Pannoniæ Saviæ urbem, ita nobis referente Procopio, [a] *Gepedes*, inquit, *loca circa Singidunum*, (hodiè Segedin) & *Sirmium tenuerunt, intra verò & extra Iſtrum.* Hæc Procopius de ſtatu Gepedarum ſui temporis; puto quod ante illius tempora imperium ſuum ulteriùs *Gepedæ circa Sirmium & Segedinum.*



[a] lib. 2. de Gothis. [a] lib. 3. Hiſtor. Vandal.

riùs Gepedæ extenderint. Sed neque tunc his oris contenti Gepedæ inhiârunt etiam Dalmatiæ, cujus majorem partem occupârunt, & exinde plurimas Romani Imperii Provincias depopulati ſunt, graves denique facti ipſis Gothis, quorum multa loca poſſederunt, pleroſque Roman. Imperatores eò adegerunt, ut illis annua ſtipendia, quæ donaria vocabant, dare debuerint, eodem Procopio atteſtante. c. l. *Gepedes*, inquit ille, *inſuper Sirmium urbem & Dalmatiæ alias civitates majorem in partem præoccupantes tenebant, quas Imperator proximè à Gothis receperat: & Romanos, quos ibi deprehendunt, captivos abducunt; progrediendoque ſemper Romanum populantes Imperium, eaque de cauſa nulla his: de cætero Juſtinianus ſtipendia perſolvebat, quæ antehac à Romanis accipere conſueverunt.* Et iterum poſt pauca: *Gothi quondam Dacorum terras vectigales habebant, Gepedes omnes circa Iſtrum, utrinque fluvium ſic habitabant; ut veriti Gothorum tunc vires, ſuos excedere terminos ne attentare quidem potuerint. Nunc verò Romanorum confœderati, quorum etſi ſtudioſiſſimos dicant, ſub amicitiæ societatisque nomine, in ſingulos annos, ut à præteritis quondam Imperatoribus, ita & absque te multa & egregia referunt dona.* Talia quoque habent *Legati Longobardorum* ad Imperatorem *Juſtinianum*, apud Procopium c. l. Hæc omnia, ſi ponderentur evincent, *Gepedas Dominos* fuiſſe ac poſſeſſores majoris partis *Hungariæ Slavoniæ Boſniæ, Dalmatiæ*: Eorumque potentiam tantam fuiſſe, ut Romani Imperatores ipſis annua ſtipendia ſive donaria tribuere coacti fuerint.

*Gepedæ accipiunt à Rom. Imperatoribus donaria.*

*Gepedæ in Dalmatia.*

## §. V.

## *De Expeditionibus Bellicis Gepedarum.*

EX præcedentibus patet, non contemnendas fuiſſe excurſiones Gepedarum bellicas. Inter quas celebriores videntur eſſe ſequentes:

1. Contra *Vandalos*, in Dacia, quam tunc bellicoſam regionem totaliter debellâſſe, ex ſuperioribus certum eſt.

2. Excurſio fuit contra *Hunnos*, imprimis poſt Attilæ interitum, ſub auſpiciis Regis *Arderici*, quos tunc ſuis ſedibus ejecerunt.

3. *Contra Herulos* ſub Rege *Trapeſtyla*, tempore Imp. Anaſtaſii, in ſuperiori Pannonia, quod Lazius factum aſſerit A C. 541.

4. *Adverſus Gothos*; quorum ſubditi olim & vectigales fuerunt, poſt verò abjecto ſervitutis jugo, multa loca Gothica occupârunt. Procop. c. l.

5. *Contra Romanos*, quorum terras aggreſſi *Dalmatiam*, aliasque Romanorum Provincias ſui juris fecerunt, de quo Procopius c. l.

6. Expeditio fuit *pro Romanis contra Gothos*. Narſeti auxilia non contemnenda ferentes ſub Ducibus *Uſdila* & *Aſpada*. De quo citatus Procopius.

7. *Contra Longobardos*, ſed Gepedibus fatalis fuit, Res ita accidit: Longobardi & Gepedæ, cum proximè ſibi adhabitarent, hoſtes invicem facti ſunt, Gepedis illi impares, eorum potentiam formidabant; qua-

quare cum ſoli reſiſtere non valerent, miſſis oratoribus ad Imperatorem Juſtinianum auxilia obtinent. Scilicet 10000 Equitum Romanorum; à quibus uno vel altero prælio cum Gepedis inito, duce *Amalefrido* Romanorum præfecto, cui quoque aſſiſtebant Avares, Longobardi Gepedes totaliter debellârunt, qua de re Procopius[a] Paul. Diaconus.[b] Hac clade Gepedæ ita ſunt diminuti, ut ab illo ampliùs tempore non habuerint Regem, ſed vel Hunnis vel Longobardis ſubjecti manſerint. *Gepedæ deleti*

## §. VI.

## *Reges Gepedarum celebriores recenſentur.*

*Reges Gepedarum.*

PRimus eſt *Faſtidas* (pro hodierna dialecto Baſtitis,) primus hic Gepedas in Daciam traduxit:

2. *Knivida.*

3. *Ovida.*

4. *Hildericus.*

5. *Gevericus*, rectius forſan *Jauvericus*, Domitor Vandalorum, quos, Rege ipſorum *Viſumaro* cæſo, ex Dacia profligavit.

6. *Ardericus*, floruit ſub Attila, cujus filiam *Chrymehildem* in uxorem duxit. Is auxilio Gothorum in Pannonia, Hunnos poſt Attilæ exitum debellavit, terrarum in confiniis Poloniæ, Hungariæ & Moraviæ factus Princeps.

7. *Trapeſtyla Anaſtaſio* imperante, contra *Feletheum* Herulorum Regem, feliciter pugnavit.

8. *Chorismundus* de quo Procopius lib. 3. belli Vandalici. Hic ab *Albuino* Longobardorum Rege victus.

9. *Turismundus.*

10. *Chunimundus* rupto fœdere cum Longobardis infeliciter pugnat.

11. *Thurismundus II.* ab Albuino Longobardorum Rege totaliter debellatus & proximè à ſua electione.

12. *Usdrilas*, non amplius Rex ſed *Princeps* reliquiarum Gepedicæ gentis, Romanis contra Gothos auxilio venit, teſte Procop.

13. *Aſpadas* ſtrenuus Dux, Romanos contra Gothos, quorum Regem *Totilam* occidit, juvit, de quo Procopius.

# CAPUT III.

## *De Burgundionibus Gente Gotho-Sarmaticâ.*

AUthores, qui Gothorum geſta nobis calamo tradiderunt, de Burgundionibus ajunt, tanquam de populo Gothicæ originis vel juxta quosdam, confinitatis.

§. I.

a lib. 3. Hiſt. Goth. b lib. 1. ver. Longobard. c. 27.

## §. I.

## *De vario apud Authores Nomine Burgundionum.*

*Burgundionum nomen variat.*

BUrgundionum nomen iiſdem Authoribus, qui de illis, maximè variat. *Plinio* [a] ut etiam *Paulo Diacono* in reb. geſt. Longob. & præter hos *Jornandi* in rebus Gothicis, *Iſidoro.* [b] *Oroſio* [c] audiunt hoc nomine *Burgundiones*, *Ptolomæo*, [d] *Phrungundiones*, veniunt. *Olympiodoro* vocantur *Burguntiones*: *Zoſimo* lib. 1. dicuntur *Burgondi. Agathiæ* lib. 5. *Burugundi*, quorum ille mentionem facit in Scythica Hunnorum gente. *Apud Marcellin.* lib. 18. & lib. 28. referuntur *Bugundi* & *Burgundii*: *Burgundios* quoque habet *Eumenius* in Genethliaco Maximiniani; apud Procopium [e] ut & Agathiam leguntur *Burguziones* & *Burgunziones*, Lazius lib. 11. putat eſſe dictos *Burgiones*. Glareanus verò [a] putat priùs eſſe vocatos *Bunguntos*: alii tandem *VVugundos* teſte Cluverio. [b] Teutonibus dicuntur *Burgundier*. Sarmatis noſtris, *Burgundii* & *Brungundi*.

## §. II.

## *De Nominis Derivatione.*

*Derivatio Nominis Burgundionum.*

UNde nomen gentis hujus derivandum, in hoc plerique diſconveniunt Authores. A. *Burgis* id eſt Caſtellis Burgundiones nomen ſumpſiſſe, tradunt Oroſius. [c] Diaconus. [d] Iſidorus. [e] quibus comſentit Lazius, qui eos à *limitum Caſtellis*, quæ *Burgos* olim Teutones vocârunt, innotuiſſe ait, perque caſtella illa diſpoſitos fuiſſe opinatur à Druſo & Tiberio, tempore Auguſti Imp. poſt ſubactam Germaniam interiorem. Sed hic Authorum ſenſus non videtur inniti talo, cum deſtituatur auctoritate Claſſicorum: potiùs contrarium elucet ex *Svetonio*, qui ubi agit de gentibus à Tiberio & Druſo traductis, quorum ætate id factum perhibetur, nihil ſanè de Caſtris meminit. Vocat autem ille *Sedes*, in quibus Sigambri cum Suevis fuerunt locati. Neque vocabulum *Burg* ubique notat caſtellum. Apud Sarmatas nonniſi ſedem denotat ea vox: unde bona terreſtria apud Gotho-Sarmatas potiſſimum in Pruſſia dicuntur hodiedum Burgwalka. Meo accedit ſenſui *Albericus* Orator apud Luitprandum [a] qui in Oratione in Hugonem Italiæ Tyrannum ita, *Ipſam* inquit, *nominis ſaltem Etymologiam reſpicite. Burgundiones ideò dictos, quoniam cum Romani, orbe devicto, ex gente hac captivos ducerent multos, conſtituerunt eis, ut extra urbem domos ſuſtollerent: à quibus & paulò poſt à Romanis ob ſuperbiam expulſi ſunt. Et quoniam ipſi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, Burgum vocant, quod eſt Burgo expulſi à Romanis appellati.* Ex his prudens colligat lector, Burgundiones non à caſtellis, quæ muro cincta ſunt, ſed alia de cauſa ſic nuncupatos fuiſſe.

*Dietzelii ſenſus de nomine Burgundionum.*

*Dietzelius* pro ingenii ſui facilitate deducit nomen è lingua Sarmatica, reflectendo ad Ptolomæi deſcriptionem *Phrungundiones*, aitque nomen hoc

*a* lib. 4. c. 14. *b* lib. 9. c. 2. & 4. *c* lib. 7. c. 31. *d* lib. 3. Geograp. c. 5. fol. 81. *e* lib. 1. Goth. *a* in Jul. Cæſ. Com. 4. p. 110. *b* lib. 3. c. 36. *c* l. 7. c. 32. *d* lib. 11. *e* lib. 9. c. 2. & 4. *a* lib. 3. c. 12.

hoc purè Sarmaticum, eſſe ac denotare, *hominem pernicitate pedum valentem.* *Bhrungia* enim ſignificat idem, quod *velociter* ſeu *cum impetu evolo* vel *velociter prodeo.* Quare *Bhrungundiones* ſive pro hodierna dialecto *Bhrungunziones* veloces pedites denotabunt. Legimus verò apud Tacitum, quod populi ad Viſtulam, ubi etiam Burgundiones habitârunt *mira pedum pernicitate* gaviſi fuerint. Certè, quamvis hodie talia populorum ad Viſtulam nomina minimè reperiantur; exinde tamen non ſequitur, hos populos olim ibi non fuiſſe. *Sulodimiſtarum*, *Polexianorum*, *Siliorum*, *Craſinorum* nominibus præditos referunt Kadlubko, & Pruſſici Scriptores, quæ tamen nomina ſimul cum gente jam dudum perierunt: Certoque certius eſt, ea in Pruſſia olim fuiſſe. Idem Albericus modo mihi citatus, Burgundiones πρὸς φρόνησιν appellat *Gurguliones*, vel quòd ob ſuperbiam toto gutture locuti fuerint, vel quòd edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulſerint. Utrumque vitium, & voracitatem & ſuperbiam, Burgundiis acerbè ſatis prædictus Orator exprobravit, de quo Luiſprandus. c. l. *Gurguliones.*

## §. III.

## *De Origine ac Sedibus Burgundionum.*

ORiginis *Gothicæ Burgundiones* fuiſſe omnino cenſemus, cum Agathia [a] qui illos vocat γοτθικὸν ἔθνος. Id eſt *Gothicum genus*, probatque id ipſum Auctoritate Procopii & Plinii c. l. Ille Vandalicos populos planè ad Gothos refert; hic Burgundiones expreſſè *Vindilorum* ſeu *Vandalorum* ſtatuit. Conſentiunt Strabo l. 7. Lazius in præfat. pn. 6. Extra dubium eſt, Gothis intermixtos habitâſſe, ut & Alanis Vandalis, Gepedibus, Nuithonibus aliisque, quod videre eſt apud Blondum lib. 1. Rhenan. lib. 1. rer. Germanic. quare hos Burgundiones Cluverius [b] confines Gothorum & Herulorum facit: Jornandes vero Gepidis & Gothis, cum quibus in Daciam & Thraciam profectos eſſe tradit. Ammian. Marcel. [c] ponit eos in Germania, in confiniis Alemanniæ, easdemque cum Alemannis pro finibus concertare conſueviſſe: gloriari ſolitos fuiſſe, ſe eſſe Sobolem Romanam, quemadmodum Batavi quoque fecerunt, oſtentatione quadam barbarica. Sidonius Apollin. inter *extremos ſeptentrionales populos* eos numerat in Carmin. Paneg. ad Major. *Ptolomæus* illis aſſignat tractum terræ inter *Viſtulam & Boryſtinem.* Iſidorus ad ann. 404. *Mari Balthico* vicinos ait: Refert enim de *Stilicone* Heneto, ſeu Gotho, quod contra *Rhadaguſum Burgundiones Suevos Alanos & alias gentes Mari Balthico vicinas* evocaverit. Cluverius illis aſſignat partem Poloniæ, qua oppida *Gnieſno*, *WVagrovicz*, *Rogaſno*, *Usczie*, *Nakiel*, *Radziejow* & Lacus *Goplo* ſpectantur. Et convenire Burgundionibus hunc locum ex eo putat: quòd aliàs à Gothonibus conterminis bello peti non potuiſſent. Quicquid ſit de locationibus hujus populi, veroſimile ex convenientia Authorum mihi videtur benè locatos fuiſſe, & quidem in terris Sarmaticis: id quod ex Nominibus qui-

*Burgundiones Gothicæ Originis.*

*Gepedæ confines Gothis, Herulis, Germanis.*

*Situs Burgundio. antiquo. in Sarmatia.*



a lib. 5. b l. 7. c. 35. c lib. 28.

*Burgundionum Rex Gendinus.*

*Vox Gendinus quid ſignificet?*

*Commutatio literarum G. & S. Sarmatis frequentiſſima.*

*Sacerdos Summus Burgundionum Ziniſtas.*

*Weidullei. Weidelen. German.*

quibus Reges Summosque ſuos Sacerdotes vocare ſolebant: in primis patet, neque illa eſſe Theutonica, ſed purè Sarmatica. Rex eorum *Gendinus*, pro quo quidam habent *Chendinum* alii *Hendinum*. Denotat enim vi nominis ſui, qui *multis obnoxius diſcriminibus* fuit. Scilicet, ejus erat officii, à populo diſcrimina ſub ſui ipſius proprio diſcrimine, avertere ac depellere. Deducitur vox hæc à voce Gotho-Sarmatica *Gendinu*, quod ſignificat *perdere*. Hinc *Gendinus* erat, quaſi qui occupatus fuit in rebus perditionem afferentibus. Videtur nonnullis nomen hoc Gendinus deſcendere à voce Polonica *Sedzia* id eſt *Judex* S. commutato in G. quæ Commutatio literarum Sarmatis uſitatiſſima. Sendinus vel Gendinus ergo erat, qui Judex populi liberè à ſua gente electus. Summus Burgundionum Pontifex dictus eſt *Ziniſtas* aliis *Siniſtas*. Hoc autem nomine vocati ſunt majoris officii Sacerdotes in Kryveano olim Pruſſorum Imperio; hodiè verò audiunt *Incantatores* eodem nomine, cujus vocis derivatio procedit à verbo *Zinnu*, quod quidem eſt *ſcio* vel *cognoſco*, quaſi Pontificum fuerit omnia noſcere & miro modo prænoſcere. Ex hoc argumento alii dicti, *VVeidullei*, id eſt *Videntes* Polonis *VVidzcycy*. Quo nomine nonniſi *Sagæ* denotantur. Inde Germanicum apud Pruſſos *VVeidelen*, id eſt *incantare*.

## §. IV.

## *De Bellicis Migrationibus Burgundionum.*

*Burgundionum Migratio ad Rhenum.*

*Migratio Burg. ad Batavos.*

*Burg. Expeditio contra Scotos.*

EX his Sarmatæ oris Burgundiones ad *Rhenum* profecti, in ea parte Galliæ conſederunt, quæ hodieque ab eorum nomine gemina dicitur Burgundia, Ducatus & Comitatus. Eorum migrationem ad ripam Rheni tradidit nobis Amm. Marcellinus lib. 18. qui eos ad Regionem, quæ *Capellatii* vel *Palas* nomen habet, ubi *terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant*, tempore *Valentiniani* Imperat. Rom. caſtra poſuiſſe refert, de qua expeditione primævas terras, infectâ cauſâ repetebant. Quid nomine *Palas* indigitatur, fusè agit Cluverius [a] quo eruditum Lectorem remitto, cum noſtri non ſit propoſiti, evagari. Atque his oris contra Alemannos bella geſſerunt, eorumque agros Burgundiones occupârunt. Inde *in Batavorum* terras demigrârunt, quos itidem deviciſſe Sidonius [b] teſtatur.

*Belgam, Burgundio quem trux*
*Preſſerat, abſolvis vinctum.*

Eutropius [c] refert, Burgundionum plusquam *LXXX millia* armatorum ripæ Rheni fluv. inſediſſe. Tanta deinde potentia, tot viris viribusque freti, poſt Attilæ tempora, in *Sequanam* penetrârunt *Galliam*, ubi à Romanis ſollicitati, primâ expeditione *Scotos*, Rom. Imperium invadentes repreſſerunt. [d] Hujus Expeditionis Sidonius quoque meminit cit. Carmine his verſibus:

*Gepe-*

a lib. 3. Antiq. German. c. 36. p. 652. b In Carmine ad Avitani. c lib. 12. Rer. Rom. d Baron. ad Ann. 373.

*Gepeda trux ſequitur, Scotum Burgundio cogit.*
*Bellonothus, Rugus, Burgundio, Veſus, Ilites &c.*

Secunda Expeditio Burgundiorum, qui jam Romanorum ſocii erant, contra *Hunnos*, quorum incurſibus expoſiti fuêre. Bellabant cum iis feliciter: quare laudantur à Marcellino [a] quod *bellicoſisſimi* fuerint. Fortuna belli patuit, dum pauci plurimos noctu adorti Hunnos: (tria enim millia contra decem Hunnorum millia pugnârunt.) Victoriam ſecundo prælio conſecuti ſunt. Favit Marti Burgundico tunc repentina mors *Uptari* Hunnorum Regis, qui poſtquam ſe nimio expleverat cibo, medius ruptis viſceribus ſolutus interiit. [b] Dubio poſt hæc Marte, bellum hoc cæptum feliciter, contra Hunnos geſtum fuit. Neque enim ſemper apud Burgundos ſtetit Victoria, Hunnis unà cum Gothis Burgundionum Terras graviter invadentibus. Quare ut metu Hunnorum liberarentur, poſtquam acceperunt, Chriſtianorum DEUM potentem eſſe, in Gallias profecti, Epiſcopos, ut ſe baptizarent Catholico ritu expetierunt. [c] Factum hoc tempore Valentiniani Imp. R. citatus inquit Auctor. Verùm Oroſius [d] qui ante Valentinianum, ſcilicet tempore Honorii ſcripſit, ſuo tempore factos fuiſſe Catholicos refert. Hi aſſociati itaque Gothis adverſus Hunnos, in auxilium belli venêre *Aeio* in *Campis Cathalaunicis* conſtituto. B. Rhenan. [e] Tot bellorum exercitiis animoſiores potentioresque effecti, *Galliæ* inhiârunt, in *Sequanos* & *Hedvos* progreſſi armis. Et ſanè favore Martis victoriis amplum ibidem fundârunt imperium: nam & partem *vallis Pœninæ*, *Sedunos*, & quam *Sabaudiam* vocant, & Inſuper *Lugdunum* ac *Viennam* aliasque civitates, quas omnes Burgundia olim complectebatur, occupârunt. His aucti viribus, inſolentiores facti ſunt, *motu* illo *famoſisſimo*, *omnium ſeptentrionalium populorum*, (cujus meminit Joannes Damaſcenus in ſupplemento Eutrop. lib. 14.) contra Romanum Imperium, quo primi fere omnium, in Galliis bellum exorſi, Rege ac Duce *Gundarico*; ſed quem *Aeius* bello tandem attrivit, quanquam ſupplicanti pacem donavit. Eo alludit Sidonius Epiſtol. ad Syagrium: ubi etiam admiratur, *Romanum hominem tam citò Germanicum Sermonem hauſiſſe*, vocatque ipſum, *Novum Burgundionum Solonem, novum Amphionem, in cytharis ſed trichordalibus temperandis.* Idem Epiſtola ad Lampridium:

*Burg. Exped. contra Hunnos*

*Victoria Burgundionum contra Hunnos. Uptarus Rex Hunnorum.*

*Burgundionum Converſio ad fidem Catholicam.*

*Burgundiones Socii Romanorum.*

*Burgundiorum Expeditio in Sequanos & Hedvos. in Gallia Burgundia Antiqua.*

*Hic Burgundio Septipes frequenter*
*Flexo poplite ſupplicat quietem.*

*Burgundionum Imperium inclinat.*

Sic Burgundiones à Romanis attritos *Gothi* denique penè exſcindere; *Franci* omnino ſibi delere ſtatuerunt. [a] Cæterum Agathias c. l. r. Refert, Luitharium & Hildebertum Francos, magnis armatos copiis, in Burgundiam fuiſſe profectos, ubi Rege ipſorum *Gundarico*, unà cum uxore capto, toto Burgundiæ regno potiti ſunt. Ab hoc tempore Principibus ſuis privati Burgundiones, Francorum Regibus paruerunt. A quibus poſtremò reſciſſi, ſuos iterùm Reges gentilitios habuêre: quorum ultimus

*Burgundiones debellantur à Francis.*

[a] lib. 28. [b] Socrat. lib. 7. c. 30. [c] Socrates l. 7. 30. [d] l. 1. c. 1. & lib. 7. c. ult. [e] lib. 1. Rer. Germ. [a] Eumenius in Genethliac. Maximiniani, Caſſiodorus in Chron. Oroſ. l. 7. 30.

mus *Rudolphus*, cum nullos haberet liberos, *Conradi Romanorum Imperatori* diadema & Sceptrum cum omnimoda ejus Regni poteſtate ſubmiſit. Ex his patet, quod etſi Francorum Reges majorem regni Burgundiæ partem jure (potiùs vi) belli occupâſſent, tamen Burgundia ſuperior, quæ primò *Ducatus* prærogativâ inſignita, poſtea in *Comitatus* anguſtiam redacta eſt, ad obſequium Imperatorum Germaniæ pertinuerit. Nam hi quoque *Reges re Arelatenſes*. Id eſt *Burgundiæ* in ſcriptis titulis præferebant. *Cancellariumque Trevirenſem Archi-Epiſcopum* per ejus ditionem alebant, quo adhuc titulo Trevirenſes Electores gloriantur. Vid. Lazius c. 1. p. 768. Modò etiam hæc Magno *Ludovico*, Regi Galliarum paret, bello nupero cum Hiſpanis debellata.

*Reges Arelatenſes.*

*Burgundia tota modò Galliarum Regi paret.*

## §. V.

## *Catalogum Regum Burgundicorum exhibet.* Proponuntur. 1. *Reges ad Viſtulam in Sarmatica Germania.*

1. PRimi Regum, de quibus eruditus orbis novit, fuerunt, *Ancyla* & *Hermericus* filii *Athiulphi* Gothorum Regis, ejus ſcilicet, qui à ripa Viſtulæ Gothos ſuos in Daciam traduxerat. Hi cum in terra Patria exiſterent, excurſiones in Teutoniam plerasque fecerunt. Quos deinde in fidem accepit *Tiberius* Cœſar Eutropio atteſtante. Eos ſecuti referuntur hi.

2. *Hunimundus*,
3. *Turismundus*
4. *Valdrichus* & *Sigismundus*
5. *Bermundus*
6. *Valamyrus*
7. *VVindericus*. &c.

## 8. *Burgundionum Reges ad Rheni ripam.*

1. *Athanaricus* & *Genſericus* ad Rhenum conſediſſe dicuntur, quorum ille filiam *Glotharii*, neptem *Marcomyri* Francorum Regis, *Blyſindam* Conjugem habuit. His ſucceſſit filius *Athanarici Gundeſolus*. Hic Rhenum omnem transgreſſus agros in *Hedvis* & *Sequanis* à Romanis deſertos poſſedit, ad *fidem Chriſti converſus* operâ *Domitiani* Epiſcopi Gebennenſis, *Ruſtici* Octodurenſis & *Theodoti* Sedunienſis dicitur. Eum excepit Frater *Gundiochus*, qui *Chilpericum*, *Godomarum*, *Godogisclum* filios poſt ſe reliquit. Hi cum in Galliis pedem fixiſſent, regni gubernacula obtiuerunt.

## 3. *Reges in Gallia Burgundiones.*

*Chilpericus*, aliis *Childericus* Rex Catholicus. Hic filiam *Crotohildem* Clodovæo Magno Galliarum Regi elocavit, inſidiis fratris *Gundebandi*, una cum filia *Throna* ejusque fratribus interiit. *Gundebandus*, aliis *Gaudebodus* item *Kunobaudis*, qui ut ſe in Throno regni firmiùs collocaret,

caret, *Theodorici* Regis Gothorum in Italia filiam *Amalaſuentam* in uxorem duxit, ex qua *Gundamarum*, & *Sigiſmundum* ſuſcepit. Bello victus à Clodovæo Francorum Rege, Regnum reliquit fratri *Gundamaro* & alteri cuidam ex fratre nepoti *Flodomæo*, Fundatori S. Romani Cluniacenſis. &c.

*Gundamarus I.* tutorio nomine rexit Galliam usque ad annos pubertatis Gundamari 2. & Sigismundi.

*Gundamarus II.* bello potitus à Clodovæo vincitur & occiditur.. Cui

*Sigiſmundus* frater ſucceſſit, *Princeps Chriſtianiſſimus*, Fundator plurimarum Eccleſiarum, item *Cænobii Augunenſis* pro *trecentis Monachis.* Ex Oſtrogotha ſuſcepit *Siglandum* & *Gundabaudum*, à Francis deinde occiſus. Et ſic regimem Regni ad Francos rediiſſe dicitur. Vid. Laz. l. 11. Succeſſu tandem iterum ex poſteris Gundebaudi Burgundiorum Regis quidam rexerunt Galliam.

## 3. *Reges Burgundiæ ex poſteritate Veterum Burgundiorum.*

1. *Gerhardus Comes Roſſilonis* nepos *Gundabaudi* Burg. Reg. ex Trogone ſocero Hugonis, cujus filiam duxerat, in Regno Burgundiæ ſufficitur; acerrimè contra Carolum Calvum bella geſſit: pulſus ad poſtremum regno, ſeptem annis *Carbonariam* exercuit. Conſecutus deinde auxilio ſuorum regni habenas, ſtrenuè ſatis illas defendit, adeò ut adhuc de *audacia* ejus Proverbium apud Gallos extet: *Autour de dal & Dalyron, Vuandecourt & Mautabon, fuſt perdu Gerart de Ruſſylon. Undecim hic Monaſteria* fundâſſe dicitur. Vid. Lazius. c. l. Sine prole decedens reliquit, Burgundiam ex filia nepoti; is erat

2. *Falco*, qui à *Carolo Calvo* comitatus anguſtiis concluſus regno cedere coactus eſt. Hunc ſecutus eſt.

*Rudolphus* ex veterum Burgundiorum proſapia Comes, conſenſu Caroli Calvi, qui ipſum tantùm titulo *Ducis*, non Regis inſigniri voluit. Hic Rudolphus poſt fata Caroli nomen & Imperium Regis aſſumpſit, jugo Francorum excuſſo, hujus frater *Boſo*, poſt fata, ut putatur, donec adoleviſſet filius Regnum adminiſtravit.

*Rudolphus II.* hic amiſit Regiam dignitatem, infeliciter cum Francis bella promovens. Succeſſit illi filius:

*Rudolphus III.* Hic recuperavit Regnum & reliquit illud filio ſui nominis. Is erat

*Rudolphus IV.* qui ob vitæ Sanctimoniam Sanctorum numero adſcriptus reliquit filium Conradum V. qui poſt fata Rudolphi V. regnavit.

*Rudolphus V.* ex nepte Rudolphi Sancti, rexit Burgundiam vice Regis Tutor Conradi II. tunc impuberis.

*Conradus II.* feliciter regno præfuit. Huic ſucceſſit.

*Conradus III.* filius, poſt cujus fata.

*Rudolphus VI.* Hic ſe *Conrado II.* Imperatori Rom. ſubjecit. Et cum ſine liberis eſſet, regni diadema, cum Lancea Domini, cæteraque

 Bur-

Burgundiæ inſignia *Henrico III. Imperat.* ante fata transmiſit. Poſt cujus tamen fata electus videtur in Regem *Gundiſolus* quidam, qui jam tempore Rudolphi regni habenas tenuiſſe putatur ab Authoribus. Hunc ſecutus eſt ultimus ex Burgundionibus veteribus Rex.

*Joannes* dubium Rudolphi ne an Gundiſoli filius. Poſt hujus fata tres filii avitum inter ſe partiti Regnum, titulum legium ac dignitatem amiſerunt, ex quorum poſteris variis exſtitere Reguli ac Comites de quibus Laz. c. 1. lib. 11.

# CAPUT IV.

## *De Herulis.*

FAmoſiſſima Authoribus Romanis & Orbi ferè univerſo fuit Herulorum gens, Gothorum non contemnenda pars.

### §. I.

### *De Herulorum Nomine, ejusque Derivatione.*

*Nomen Herulorum variat.*

HOrum *Nomen* variat. Scribuntur plerique *Heruli* & *Eruli.* Zonaræ in Juſtiniano *Heluri.* Nonnullis Authoribus nomine *Henetorum* veniunt. Sic *Stylico* Gothus dicitur, Henetus & Herulus à Claſſicis Auctoribus. Recentioribus ſunt *VVerule*, qui iidem cum *Vandalis*, ſeu prout Teutones loqui amant, *Vendis* populus cenſetur. Cluverius lib. 3. c. 35. *Lemovios* priùs dictos fuiſſe ſentit. *Unde Herulorum nomen* veniat? non conſtat. Sunt qui à vocabulo *Heel* oppidi in peninſula ante Viſtulæ oſtium occidentale ſiti, derivant, à quo fortè loco, *Heelii* dicti, ex quo Græci poſtmodùm fecere nomen *Heluri.* Cluver. l. 3. c. 35. Zonaras in Juſtinian. Alii id nominis non quidem ad Heeli oppidi nomen, ſed ad Græcam vocem ἕλη, quæ *paludes* ſignificat, alludentes, inde Helures deducunt. Derivatio hæc niti videtur auctoritate Jornandis qui ſimul cauſam affert hanc illius. *Prædicta gens*, inquit, *Ablavio Hiſtorico referente juxta Mœotidis paludes habitat, in locis Stagnatilibus, quæ Græci Hele vocant inde Heruli,* (fortè Heluri per transpoſitionem literarum) *nominati ſunt.* Cluv. c. l. Sunt, qui putant dictos eſſe à voce Gothica *Ereli*, quæ *accipitrem* & *aquilam* denotat, ſic dictos quod inſtar prædictarum volucrum veloces fuerint. Eorum velocitatem, hujusque cauſam, inſinuant nobis Auctores, in primis Jornandes qui ita de illis: *Herulorum gens*, inquit, *quantò velox, eò amplius ſuperbisſima. Nulla ſiquidem gens, quæ non levem armaturam, in acie ſua ex ipſis elegerit.* Idem tribuit eis Sidonius Carm. VII.

*Derivatio nominis Heruli.*

--- --- --- *præſtat*
*Curſu Herulus, Hunnus jaculis, Francusque natatu.*

Alii à vocabulo *Eris*, quod *agnum* denotat, Herulorum nomen deducunt, eorum ſimplicitatem arguentes. Quidam dictos dicunt *Herulos* ſeu *Eru-*

*Erulos*, quaſi *Arulos*, id eſt *aratores*, *ab ariu.* quod *arare* ſignificat. Nomen autem *VVerulorum* volunt quidem idem eſſe, quod Herulorum, quod Sarmaticis populis in uſu frequentiſſimum ſit, Vocibus addere v. vel. w. Sic: *Apri* fluv. nomen audit modò *VVieprz* Polonis, *Oduga* Cauda Pruſſis Nadravis, Zamogetis eſt *Woduga.* Cæterum vox hæc *Weruli* videtur deſcendere à verbo *Waru* id eſt expello, compello, quaſi *Waruli* Sweruli nomen ex eo acceperint, quod ad Expeditiones bellicas, vel ad alia ſervitia compulſi fuerint. In hac ſententiarum varietate liberum relinquo cuique ſenſum. Mihi præ aliis placet illa à velocitate deducta derivatio, Herulorum ſcil. à vocabulo erelis aquilam denotante. Quanquam non improbo ſenſum Adm. R. Patr. Studaicii. S. J. qui putat Herulos ſic à Romanis dictos eſſe, quod eſſent parvi Domini, vel Principes; diminuta voce ab Herus id eſt Dominus. Scilicet Parvum illorum regimen & Dominium Romanis denotantibus. Niſi quis dixerit Hariolos olim dictos eſſe ab iisdem latinis quod frequentes eſſent in hac gente harioli & haruſpicia. H. J. Cæterum in nonnullis Taciti Exemplaribus pro voce Heruli invenitur vox Neruli. Num ſtudio an errore librarii ita ſit ſcripta, non facilè dixerim. Mihi certè non inconveniens videtur Herulos hos dictos eſſe antiquitus Nerulos. Scilicet apud Veteres Gothos ſic vocabantur inſulani. Et hodiedum apud Zamogethas, Nadravos, Zalavonos, illi qui in Inſulis & peninſulis habitant ſic dicuntur. à vocabulo *Neria*, quod *Inſulam, ſeu ex aqua emergentem terram* ſignificat. Sic illæ Pruſſicæ Inſulæ ad Mare Balthicum *Neriæ* audiunt, Vid. Dyſip. in Chron. Pruſſ. part. 3. quarum altera *Recens*, altera *Curonica Neria* vocatur. Hoc Neriæ vocabulum Teutones, Pruſſiæ linguæ ignari, corruptè efferunt, **die Nehrung** ad ſuum, peregrinum hoc vocabulum trahentes idioma. Confirmor in hoc ſenſu; quia teſte Procopio Regia Herulorum Stirps avitus in Inſula quadam poſſeſſiones antiquitus habuit. de quo in ſeqq:

## §. II.

## *De Origine & Genuina Herulorum Patria.*

*Jornandis Senſus de Patria Herulorum.*

JOrnandes ſuo imbutus ſenſu, ex ſua populorum vagina, nempe *Scanzia*, quam vulgò Schoniam vocant, deducit Herulos; quanquam id ſibi ſatis non conſtat. Mox enim eodem ex *Palude Moeotide*, aut ex lolocis ſtagnantibus ad Mœotin, mox ex aliis innominatis locis, Scanzianis tamen, ut videtur, derivat. Ita ille [a]: *Sunt*, inquit, *ex his Oſtrogothæ, Raumaricæ, Raugnaritii, Fimii mitiſſimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores: nec non & pares eorum Vinoviloth, Svetidi, Cogeni in hac gente reliquis corpore eminentiores: quamvis & Dani ex ipſorum Stirpe progresſi, Herulos propriis ſedibus expulerunt. Qui inter omnes Scanziæ nationes nomen ſibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum. Sunt quoque & illorum poſiturâ Granii, Aganziæ, Unixæ, Etelrugi, Achrochyrini, quibus non ante omnes, ſed ante multos annos Rodulphi Rex fuit: qui contem-*

[a] libr. de Tempor. & Regnor. Succesſionibus.

*contemptu proprii regni ad Theodorici Gothorum Regis gremium convolavit, & ut deſiderabat, invenit.* De hoc Rodulpho meminit P. Diaconus [a] quod in Rugilandia ſit à *Tatone* Longobardorum Rege victus. Videtur hic Auctor ſtatuere Patriam Herulorum ad hanc Scanziæ partem, quæ eſt ad *Mare Balthicum*, in quo eſt *Rugilandia*. Ab eo tamen diverſus eſſe videtur *Procopius* Græcus Auctor, in Hiſtoria Gothor. qui Herulos ex Inſula *Thule* deducit. Verba illius ſunt: *Heruli fuerunt intemperatiâ & levitate nullis uſpiam hominum leviores. Jamque eos facti pigebat, nec ſine Principe eſſe, nec ſine Duce ad bellum vitam ducere, eos poſſe apertius affirmabant; itaque cum multum & ſæpè eâ de re conſultaſſent, præſtare id omnibus ipſum è Thule Inſula aliquem ſibi regio ex genere confeſtim excirent, qui his imperaret. &c.* Et poſt pauca inquit: *Nunc vero Herulorum è gente, qui apud Romanos ſibi, ut diximus paruerunt, qui Regis cæde patrata, à Primoribus quibusdam ad Thulem Inſulam mittunt: qui diligenter perveſtigando ad ſe domum deducerent, ſi quem fortè regio ex ſanguine oriundum ea in Inſula reperirent, Tum illi, ubi eò eſt perventum, pleroſque comperiunt, regii generis homines ibi adeſſe. E quibus uno duntaxat, qui ſibi perplacuiſſet, delecto ac ſecum deducto revertebantur. Sed qui fortè deducebatur, morbo correptus emoritur. Unde rurſus Eruli inſulam repetunt, & alterum quendam* Datin *nomine ſecum abducunt. Hunc* Aordus *Germanus frater, & ex Erulis, qui Thulis erant, juvenes ducenti ſequuntur. Longas igitur in itinere faciendo moras trahentibus, Erulos qui ad Thulem Inſulam nuncios miſerant, cogitatio ſubiit, nullo ſuo ex commodo ſe facturos, ſi Juſtiniano invito ex Thule principem ſibi exciverint. Unde confeſtim Byzantium mittunt, Imperatorem precatum, Ducem quem mallet ſibi ut traderet: tum ille Herulum his quempiam Byzantii diu verſatum, mox mittit,* Schwart *nomine.* Hiſce produntur nobis ſequentia. 1. Herulos qui cum Gothis Romani Imperii fines ingreſſi ſunt, primùm conſediſſe in Inſula Thule. 2. Regiam illorum Stirpem ibi permanſiſſe. 3. Ad Occanum, quo nomine veterum mare Balthicum intelligendum, de quo lib. 1. reſediſſe. 4. Inde ad Thraciam multas feciſſe migrationes. 5. Conterminos Slavinis fuiſſe, quos Jornandes viſelatenus habitâſſe dicit. 6. In exteris Provinciis durâſſe à tempore Anaſtaſii Imp. Rom. ad usque Juſtiniani Imperium. 7. à Romanis Imperatoribus arceſſiſſe Reges, tempore ſcil. Juſtiniani Imperat. Romanor.

*Rodulphus Rex Herulorum.*

*Herulorum Patria ad Mare Balthicum.*

*Inſula Thuole.*

## §. III.

## *De Inſula Thule, Herulorum Patria Sede.*

QUandoquidem prima Herulorum Sedes fuit Thule, ideò de hac hic longiùs agendum venit propter Authorum diverſitatem quoad illius nomen, ſitum. &c.

1. *Pro-*

[a] lib. 1. Hiſt. Longob. c. 19. & 20.

## I. *Proponuntur aliorum & propria Auctoris ſententia de Nomine hoc, ac Derivatione illius.*

Quoad nomen hujus Inſulæ, multùm inter ſe Authores variant, Communiter tamen ſcribitur *Thule*. Ita Virgil. l. i. Georg.

--- *Tibi ſerviat ultima Thule.*

Similiter *Juvenalis* Satyr. 15. *Statius* Sylv. l. 5. *Solinus*, *Strabo*, *Ptolomæus*, *Claudianus*. *Arnobius* lib. 6. adverſus Gentes habet *Thyle*. apud *Æthicum* audit *Tille* & *Tile*. *Prior*, quia communior, aliaque de Cauſa mihi præ cæteris rectior videtur denominatio. Unde nomen derivandum ſit? itidem per Auctores non conſtat. Quidam à *Tille* Svetico vel Norvegico vocabulo deducere allaborant. Sic Hermannides in Dania, Norveg. p. 70. ſeq. quare per Thule intelligit *Tilemarck*, qui Norvegici Regni tractus eſt. Reinerus Reineccius, citante Hermannide c. l. p. 73. à Saxonica veteri dictione *Telle*, quæ *limitem* ſignificat, dictum putat, quòd ſcilicet Septentrionis & Occidentis limes ſit. *Suidas* derivat à *Thule* Ægyptiorum Rege. Iſidorus à *Sole*; quo argumento? non apparet. Alii à Gothico Vocabulo *Tyle*, quod *Silentium* connotat, derivant, quod nempe Thule locus ſit incognitus, de quo ſilendum eſt. Sed ludere mihi Authores videntur merâ vocis alluſione an illudentes? Nobis de voce hac is eſt ſenſus. (1.) Non fuiſſe Inſulam aliquam quæ proprio nomine dicta ſit Thule. Probatur auctoritate tum *Syneſii*, qui teſte Cambdeno de Inſulis Brittanicis omninò dubitavit, an Thule ſcil. Inſula aliqua, quæ tali nomine gauderet, fuerit; tum *Gyraldi*, qui aſſerere non eſt veritus Thulem nunquam ullibi apparuiſſe. (2.) *Derivationem* tamen nominis, cum Inſula iſta, quam Thulem vocant, Gothici ſanguinis Regulos hæreditarios adoraverit, ibique illis ſedem conceſſerit antiquitas, non niſi ex lingua, quæ Gothicis populis nativa fuit, petendam eſſe cenſemus. Vox autem hæc mihi omninò videtur eſſe Gothica, in quorum lingua vox *Tuole*, *longam diſtentiam* denotat. Quæſiti olim ſæpius Heruli, quorſum abituri ſint, ut Regem ſibi aſciſcant: Reſponderunt *Touli abituros*. id eſt *procul in longè diſſitam regionem*. Et hoc ſenſu plerumque vocabulum hoc apud Authores invenitur. Sic Virgilius: *Tibi ſerviat ultima Thule*. id eſt *remotiſſimus quisque*. Inde complures quoque Veterum Thulæ. Poetæ nomen hoc pro lubitu regionibus parùm cognitis ac potiſſimum ad boream ſitis imponunt, ſicut cum de Regionibus longè diſſitis ad Orientem loquuntur more ſuo ad Indos Gangen & Hydaſpin excurrunt. Conf. Hornius in Originibus Americæ l. 3. c. 6. Accidit verò ſæpe, ut ab errore referentis nomina regiones accipiant, quæ ipſis nunquam ab incolis datæ ſunt. Ita Regnum Americæ primarium, *Peru*, vocatum eſt à piſcatore quodam, qui de nomine Patriæ ſuæ, unde venerit, quæſitus, proprium ſuum reddidit nomen, quod advenæ Hiſpani terræ iſti applicuerunt. Et quamvis nullam fuiſſe Thulem Inſulam ex Sineſio & Gyraldo ſupra dixerimus; hanc tamen regionem, quam Thulem Procopius vocat, ex qua Heruli ſuos Regulos aſciverunt, reverâ exſtitiſſe, Iuſulamque vel Peninſulam, licet alio nomine

*Nomen Thule variat.*

*Derivatio nominis Thule ex lingua Gothica.* à voce Tuole

*Multæ Thula Veterum.*

*Unde nomen Peru?*

ab incolis vocatam, fuiſſe, certò certius eſt. Verùm ubi ſitus ille locus fuerit, maximè inter Authores diſcrepat.

## 2. *Proponuntur Authorum Sententiæ de ſitu hujus Inſulæ.*

*Situs Thules ex mente Pytheæ & aliorum.* Primus, qui nomen & ſitum Inſulæ hujus retulit, fuit *Pytheas* Maſſilienſis, homo Græcus, qui omnem Europæ ſeptentrionalis oceanum ſe enavigâſſe, hancque Inſulam verſus ſeptentrionem 6. dierum navigatione à Britannia ſitam vicinamque congelato mari eſſe ſcripto prodidit, cui tamen *Strabo* lib. I. II. & IV. omnem fidem derogat ſolâ, ut putat Hornius, clariſſimi viri invidiâ, ideo quòd *qui Hyernen*, inquit citatus Strabo, *Britanicam Inſulam viderunt, nihil de Thule dicant.* Conſentire videntur illi Polybius & Erathoſtenes, videatur Hermannides c. l. Solinus verò c. 25. Thulen viciniorem facit Brittaniæ ſcil. circa Brittaniam. *Multæ*, inquit, *& aliæ circa Brittaniam Inſulæ, è quibus Thule ultima.* Tacitus in vita Agricolæ verſus ſeptentrionem ultra Orcadas eam ponit. Verba adſcribo: *Hanc oram noviſſimi tunc primum*, (ſub Domitiano) *Romana Claſſis circumvecta, Inſulam eſſe Britaniam affirmavit; ac ſimul incognitas ad id tempus Inſulas, quas Orcadas vocant, invenit, domuitque, diſpecta eſt & Thyle; quam hactenus nix & hyems abdebat. Sed mare pigrum & grave remigantibus perhibent, ne ventis quidem proinde attolli: Credo quod rariores terræ montesque cauſa & materia tempeſtatum; & profunda moles continui maris tardius impellitur.* Mela [a] dicit Thulen *Belgarum littori oppoſitam.* Plinius lib. 4. c. 16. Brittanicis eam annumerat Inſulis, nec tamen procul à mari Chronio, vixque diei navigatione à Nerigone diſtare, ultimamque eſſe inter Electridas, ſeu ſucciniferas Inſulas. Chronium Mare autem ipſi non eſt congelatum illud, quod Hecatæus *Amalchium*; Philemon *Morimauſam* ſeu mortuum mare vocavit, quod ſe tendit usque ad Promontorium *Rubeas*, ſed quod ultra extenditur. Promontorium autem Rubeas putat *Cluverius* eſſe promontorium, quod nunc vocamus *Nordkin*, adeoque juxta hujus ſenſum verſus ſeptentrionem & Orientem Thulem ſitam fuiſſe credendum eſſet. Iſidorus lib. 14. Orig. c. 6. Thulem ultimam oceani Inſulam, inter Septentrionalem & Occidentalem plagam ultra Britaniam ſitam eſſe refert. Aliter à prædictis ſentit *Jornandes*, qui Thulem ponit non ad Septentrionalem ſed in ultimo *Occidentalis plagæ terminio.* Verba inſulati Auctoris ſunt: *Habet & in ultimo plagæ Occidentalis aliam Inſulam, nomine Thylen, de qua Mantuanus: Tibi ſerviat ultima Thyle. Habet quoque is ipſe immenſum pelagus in parte Arctoa.* id eſt *Septentrionali, amplam Inſulam nomine Scanziam. Ptolomæus* 62. & 63. latitudinis gradu Inſulæ hujus ſitum definit. *Thules Magnitudinem* Procopius [a] ita nobis proponit: *Thule multò maxima eſt, nam decuplo major Britannia, à qua longius abeſt verſus ſeptentrionem. Fertilitatem* illius Solinus c. l. ita deſcribit: *Thule larga eſt, & diutina pomana copioſa Qui illic habitant, principio veris inter pecudes pabulis vivunt: deinde lacte; in hyemem*

*Marginalia:* 1. Solini. — 2. Taciti. — 3. Melæ. — 4. Plinii. — *Thule non procul à Nerigone.* — *Promontorium Rubeas quid ſit ex mente Cluverii.* — 5. Iſidori. — 6. Jornandis. — 7. Ptolomæi. — 8. Procopii. — *Magnitudo Thuoles.* — *Fertilitas Thuoles.* — 9. Solini.

[a] lib. 3. c. 6. [a] lib. 2. Goth.

*mem conferunt arborum fructus. &c.* Ex his diverſis Authorum ſententiis arduum eſt verum ſitum Inſulæ hujus indagare, magis arduum denominare quænam illa ſit, in quo maximè etiam variant Authores.

## 3. *Proponuntur Authorum Senſa, quænam ſit & ubi locorum hæc Inſula Thule.*

*Adamus Bremenſis* putat eſſe *Islandiam.* Cui conſentiunt plurimi Geographorum, *Mercator, Cluverius, Pontanus* & cæteri; eò permoti, quod plurima Islandiæ competant, quæ veteres de Thule tradiderunt. Scilic. Ultra Thulem eſſe mare pigrum & mortuum; unius diei navigatione tantum abeſſe à Nerigon id eſt Norwegiam &c. E contra ſunt, qui negant Thulem eſſe Islandiam. Ex his eſt *Dithmarus Bleſkenius* aſſerens ac defendens, Ptolomæum eo loco non ſtatuiſſe Thulem, quo eſt Islandia. Ei conſentiunt *Angerinus* lib. I. Crymogeæ ſuæ c. 2. *Saxo Grammaticus, Crantzius, Peucerus.* Cambdenus dicit eſſe *Schetlandiam* Inſulam Scotiæ & Islandiæ ſitu ſuo interpoſitam. *Hermannidi* nomine Thyle venit tractus terræ in Regno Norwegico, qui dicitur *Tilemarck.* Putatque illam definitionem latitudinis & longitudinis, quam dedit ille Ptolomæus Inſulæ Thyle, rectè convenire regioni. *Ortelius* Thulen putat eſſe *Scandinaviam*, in qua nimirum reperire eſt, Tilemarck Provinciam regni Norwegici, cujus nomen ad voce Thyle alludit. Probare id nititur auctoritate Ptolomæi, qui eandem longitudinem & latitudinem quæ illæ Thulæ aſſignat, huic Provinciæ attribuit. Videtur huic aliquatenus ſententiæ favere ipſe Procopius, qui certè non Islandiam ſed aliam quandam Inſulam per Thulen videtur intelligere. Inter hos ſententiarum fluctus tuto navigare portumque invenire, vix mihi facilè eſt. Quæ tamen in tam dubiis obſcuriſque rebus mea ſit ſententia ſalva auctoritate aliorum, libertate ſentiendi aliorum, hiſce expono.

*An Thule ſit Islandia.*

*An ſit Schetlandia?*

*An Tilemarck Norwegiæ.*

*An Scandinavia?*

## 4. *Refelluntur propoſita Authorum Senſa.*

Thulæ, quam vocem mare eſſe Gothicam Inſulam initio docuimus aſſignandus videtur locus à Gothia non diverſus, maximè quod in ſe continuerit Gothici ſanguinis regulos, eorumque fuerit ab antiquo reſidentia hæreditaria. Quare non poſſumus 1. eam ad Brittanicas referre Inſulas, niſi eo fortaſſis ſenſu, quo incognitæ olim barbarorum Inſulæ nomine Brittanicarum veteribus venerunt. *Satis* (inquit Cluverius,) [a] *conſtat Plinii ævo, barbaras gentes, quaſi peculiari vocabulo dictos fuiſſe maximè Germanos & nonnunquam Brittannos.* Scilicet qui ex mediterraneis locis venerunt, *Germani*, qui vero ex Inſulis incognitis *Britanni* dicebantur. Cæterum mihi certum eſt, nullam inter Brittanicas Inſulas neque olim neque hodie Thules nomine gaudere Inſulam, & quidem quæ tantum diei navigatione ab Inſula Nerigon diſtet. Tum quod nativa Brittanorum lingua Teutonica fuerit, Slavonica Herulorum, de quo alibi. Tum quod Thule antiquis habita ſit *Inſula decuplo major Britannicâ* teſte Procopio lib. 2. Neque 2. dicimus fuiſſe Islandiam, uti contendunt cum Cluverio viri aliàs doctiſſimi. (1) Thule cum unius diei

*Thulæ Inſ. referendo ad Gothiam.*

*Non ad Brittanicas Inſulas referenda eſt Thulæ.*

*Brittanorum nomen barbarum antiquis.*

*Thule decuplo major Brittaniâ.*

*Thule non eſt Islandia.*

[a] lib. I. Germ. Ant. c. 7. p. 127.

diei tantum navigatione, quo ſupr. diximus, remota fuerit à Nerigon Inſula ſeu Norvegia. Quis adeò velox fuit nauta, qui una die ex Norvegia Islandiam usque navigaverit, vel quis modo navigare ſibi præſumat.

*Antiquorum Navigia qualia?*

Certè Plinii ævo horum barbarorum navigia nimis fuere exilia, quia ex viminibus & corio conſarcinata, unde nec eum curſum, quam hodiernæ naves tentat, conſequi potuerunt. Benè ſi ponderetur ſitus; quem Plinius tribuit Thulæ, nimirum in *mari Chronio* tanto abſurdius erit Thulen conſtituere Islandiam. Certè ex mente Cluverii *Chronium*

*Chronium Mare Plinii.*

mare eſt ultra promontorium *Rubeas*, quod modò *Nordkin* appellatur. Nimirum *Mare Chronium* eſt illud mare ſub ipſo polo intra circulum Arcticum comprehenſum; quo ſitu Europæ ſimul Aſiæque & Americæ partes Septentrionales abluit. Jam quis unquam in uno die tantum iter, quod eſt è Chronio mari in Islandiam usque ad trecenta & ultra milliaria abſolvit? (2.) Thule antiqua habita eſt Inſula decuplo major Brit-

*Islandia minor Brittania.*

taniâ, de quo ſupra. E contra Islandia quam minorem longè eſſe Britaniâ & tabulæ teſtantur Geographicæ & relatio noſtrorum recens navigantium. (3.) Thule Solino larga eſt, & diutina pomona copioſa. Ubi verò in Islandia Pomona, in qua vix betulæ creſcunt, ubi tanta ligno-

*Islandorum tuguria.*

rum penuria, ut in ſpeluncis incolæ habitare tugurioque non ex trabibus vel aſſeribus ſed ex *Piſcium* ſpinis teſte *Henrico Dunker* im See-Atlas pm. 15. fabricare neceſſe habeant. (4.) Sibi ipſi citatus hìc Cluverius

*Heruli ad Viſtulæ oſtia.*

contradicere videtur. Herulorum enim primam ad genuinam ſedem facit ad Viſtulæ oſtia, ubi Gothis contermini fuerunt, id quod ex Procopio lib.2. Goth. ipſi conſtitit retulitq; ipſe Germ. antiq. lib.3. c.35. pm. 648. Thule autem Procopiana vera fuit Herulorum patria quomodo Thulen, Islandiam facit procul ab oſtiis Viſtulæ diſſitam. Neque valet, quòd videatur aliquatenus Ptolomæana Thules deſcriptio convenire Islandiæ

*Error Ptolomæi.*

quoad ſitum. Scimus in multis erraſſe Ptolomæum, neque de his longè diſſitis oris rectè judicare potuiſſe, qui in Peluſio viciniſque reſidentiæ ſuæ locis exaravit. Videatur Cluv. c. l. it. Ortelius, qui ex deſcriptione Ptolomæi ThulemScandiam eſſe, graphicè ſatis deſcribit, proque ſuo ſenſu Procopium alioſque Authores fruſtra vendicat. De quo proximè in-

*Nec Inſulæ Schetlandicæ.*

fra. Non 3. Inſula ultra Orcades ſita. Auctoritas Taciti ultra Orcades Inſulas, Thulen ſtatuentis non convincit. Cum enim Romana Claſſis ultra has Inſulas & *Schetlandicas* provecta non fuerit, putârunt antiqui Inſularum omnium ultimam eſſe Thulem. (4.) Non placet Ortelii, de quo ſupra, ſententia qui emendicata non ſatis feliciter auctorita-

*Thule non eſt Scandia.*

te Procopiii nixus per Thulen intelligit Scandiam; ſeu regna illa Sueco-Norvegica. Nam 1. quod hæc Regna Thulæ Inſulæ juxta Ptolomæi deſcriptionem minimè conveniant fuſè deducit Cluverius l. 3. c. 39. 2. adverſatur Mela cum Thulen belgarum litori oppoſitam dicat. Juxta illum Thule Scandia curia Svetica nullatenus erit.

## 5. *Præſupponuntur quædam de hac Inſula, ad majorem ſitus locique illius intelligentiam.*

*Præſupponit Auctor.*

Meam priusquam opinionem afferam præſuppono. 1. Veteres nomi-

nomina Inſulæ & Peninſulæ promiſcuè uſurpâſſe. Ita Scandia, quæ Peninſula eſt veteribus Inſula audiit, Balthia ſimiliter Inſula habetur, quæ potiùs Peninſula eſt.

*1. Nomina Inſulæ & Peninſulæ promiſcuè apud Veteres fuiſſe uſurpata.*

2. Has oras ad Mare ſitas Balthicum, Romanis etiam Seculo IV. haud benè fuiſſe cognitas: aliàs Procopius Auctor ſatis curioſus locum nobis certiùs deſignâſſet, quòd tamen minimè fecit.

*2. Oras ad Mare Balthicũ Veteribus non fuiſſe cognitas.*

3. Herulos Slavicæ & Gothicæ Originis gentem fuiſſe, id quod ex Zonara in Gallieno patet, qui expreſſè Herulos Gothorum partem nominat. Sozimus lib. 1. Herulorum terram ad Sarmatiam refert, Suidas verò eos ad Tyram vel potius ultra Tyram collocat. Hoc ſenſu veteribus audiunt viribus primi barborum, locis ultimi. Præterea Gothorum Reges ſub imperio ſuo habuerunt Herulos populis ſuis immixtos, quibus Gothisque unà Heruli quandoque imperabant. Sic Odoaur fuit Rex Gothorum, cum tamen dicatur Herulus.

*3. Herulos Slavicam gentem fuiſſe.*

4. Herulorum ſedem genuinam, ad Mare Balthicum, quæ & Gothorum prima ac genuina fuit Patria, fuiſſe. Atquæ hæc eſt communiſſima Geographorum ſententia. Videatur Cluv. c. l. Quod autem inſuper patet ex bellis Herulorum geſtis cum Langobardis vicinis ſuis, quos cum Herulis in Rugilandia habitâſſe teſtatur P. Diaconus lib. 1. Hiſt. Longob. c. 12. & 20. Otto Friſingenſis lib. 4 Chron. c. 30. meminit Odoacri Regis Rugorum & Herulorum. Procopius lib. 3. Herulos dicit Gepidis in patriis oris conſidentibus proximos fuiſſe: Gepidas autem ad Viſtulam habitâſſe ſuperius demonſtratum eſt.

*4. Herulorum ſedem ad Mare Balthicum fuiſſe.*

5. Tandem populos populorumque loca, quod priùs innuimus, etiam nunc tanquam indubitatum ſupponimus, aliena ſæpiùs ſortiri nomina ex mala referentium informatione vel aliis de cauſis.

*5. Populos locaq; nomina aliena ſæpiùs Sortiri ex mala referentis informatione.*

## 6. *Proponitur Auctoris Sententia.*

Hiſce præſuppoſitis ſentio: Thulen eſſe noſtram Balthiam, quæ antiquitus dicta quoque eſt Baſilia, à Græcis fortè ſic appellata, quod ſit regio βασιλέων, id eſt Regulorum, ſive Herulorum, ad ſinum Venedarum ſive Benedarum, (pro hodierna dialecto Zalovonum. Paneitatarum id eſt Herulorum,) ſita. Tractus Balthiæ Terræ non modò in ſe continet Meclenburgum, Rugiam, Pomeraniam, Caſſubiam, ſed & ultra Pruſſiam Samogethiam, Curoniam, Livoniam extenditur. Probatur aſſertio argumentis 5. quorum .1 eſt. Situs Balthiæ, ſeu terrarum, quas illa continet, maximè convenit ſitui, quem Pytheas accuratiſſimus Græcorum Geographus Thule tribuit. Dicit enim 6. dierum navigatione à Brittania diſtare illam. Vid. Strab. l. 1. Et certè totidem diebus ſpatium hoc quod eſt Balthiam inter & Brittaniam enavigatum ſæpiùs fuiſſe experientiâ conſtat. 2. Convenit ſitus terrarum Balthiæ ſitui, quem poſuit Plinius c. l. quia non procul à mari Chronio Thulem collocat orientem verſus. 3. Convenit magnitudo illius, magnitudini quam Thulæ Ptolomæus tribuit, dum illam longè majorem Brittaniâ eſſe aſſerit. Et ſanè ſupradictas regiones ad littora maris Balthici, ut & in continenti terrâ poſitas, longè majorem terræ tractum comprehendere, quam comprehen-

*Thule eſt Balthia cur dicta Baſilea.*

*Situs Balthiæ.*

prehendat Brittania, evidens eſt. 4. Convenit cum Solini deſcriptione, qui Inſulæ huic tribuit pomonæ fertilitatem, quæ certè in hoc terræ tractu multùm commendabilis eſt. 5. Inprimis favere videtur Plinius c. l. qui non alias præterquam has à nobis nominatas oras videtur attribuere Thulæ. Poſtquam enim Brittaniam ejusque vicinas Inſulas deſcripſiſſet, ſparſarum meminit quoque *Gleſſariarum* Inſularum, in Germanico mari, quarum ultimam dicit eſſe Thulen. Verba Auctoris refero: *Sunt autem hic XL Millia paſſuum Orcadas modicis inter ſe diſcretæ ſpaciis. Septem Acmodæ & triginta Hæbudes. Et inter hiberniam & Britanniam Mona, Menapia, Ricnea, Vectis, Silinas, audros; infra verò, ſiambis & axantos. Et ab adverſo in Germanicum mare ſparſæ gleslariæ, quas electrides græci recentiores appellavere, quòd ibi electrum naſceretur. Ultima omnium quæ memorantur Thule.* Fatemur quidem Plinium horum locorum confuſam, non accuratam habuiſſe notitiam, adeoque per Inſulas illas ſparſas videri illum intelligere *Inſulas ante Friſcam*, *Jutiam*, *Holſatiam*, anteque *oſtia Albis* jacentes. Sed cum ibi *electrum* id eſt *Succinum* nunquam natum ſit, quanquam ab Inſulanis nautis in Gallicas & Italicas oras aliunde advehi potuerit: neceſſe eſt per illas ſparſas Inſulas illum non intellexiſſe veras ſucciniferas Inſulas, ſed potius illas, quæ ante Gleſſarias Inſulas jacent, vel potiùs, quæ ſitæ in plaga coeli illa, qua ad ſucciniferas terras progreſſus fit orientem verſùs. Illarum terrarum in illa cœli plaga dicit ille ultimam eſſe Thulem, ſcilicet prætereundo Orientem verſùs ſupradictas Inſulas & Codonaniam, quæ fuerunt Romanis cognita in mare Balthicum. In hoc autem mari Inſulas Gleſſarias collocare debuit Plinius qui lib. 37. unius Inſulæ Gleſſariæ meminit ſuccini dominæ, per quam videtur noſtram Thulem intelligere, utpote quæ ultima eſt Inſularum illarum unde nautæ cum gleſſum illud ſeu ſuccinum in Romanas oras adveherent, ob mercaturam hanc ſuccinariam ſuccinariæ ſeu gleſſariæ Inſulæ audierunt. Ultra verò hanc genuinam Succini matrem Balthiam, cujus principalior pars Samia fuit, non dari aliam tantæque magnitudinis Inſulam ſeu Peninſulam ſuccini feracem certò certius eſt. Atque in his locis conſtituit Plinius *Nerigon* Inſulam, ſicut & *Mare Chronium.* Quid autem hæc ſint, adhuc in dubio res manet. Nos ſententiæ Cluverii atque illius ſequacium in præſenti non ſubſcribimus, utpote fallibili ac maximè incerto nixæ fundamento. Plinius quoque horum locorum maximè dubiam habuit notitiam; relata retulit, quæ ab incerto auctore accepit, incerta. In quibusdam, ſed potiſſimum in his tam obſcuris tamque diſſitis oris nimis credulus deprehenditur vir alioquin admirandæ eruditionis. Quæ verò ſit illa Inſula Nerigon, à qua unius diei navigatione in ultimam Gleſſariarum Thulem deveniri poteſt? Oſtendi primùm, quod non ſit Cluveriana illa Norvegia, minùs verò Islandia, quod nimia diſtantia inter illas & Inſulam Thulem ita ſentire prohibeat. Sicut neque mare Chronium & Promontorium Nordkin, quod temporibus Plinii prætergreſſos eſſe navibus Romanos quis aſſerat, cum nullus veterum hac de re ſcripſerit? quod affertur Seculo primum VI. quo Rex Artus vixit primam

*Nerigon Inſula quæ?*

*Arti navigatio.*

mam navigationem incepiſſe ad Septentrionalem plagam Ruſſiæ affinem, fabulam olet, aut commentum recentiorum, cum nihil quoque certi ſcripta veterum de hoc referant. Videatur citatus Dunkerus c. l. Mihi perſuaſum eſt modò per Eruditiores liceat, per Inſulam *Nerigon* nullam aliam intelligi debere Inſulam quam *Nerias* Pruſſorum ad ſinum maris Balthici prope lacus Curonicum & Recenten ſitas. *Neriæ* modò ſunt *duæ*; olim unam tantùm fuiſſe demonſtrat ipſa denominatio alterius lacus, qui vocatur *Recens* Germanice: Friſchhaſe: ſcil. quod *recens* exſtiterit, ſive novus alter ſit factus, cum priùs unus ab antiquo fuerit Curonicus. Lacus hic cum ſit ad 16. milliaria in longitudine ad ſeptem in latitudine, antiquis habitus eſt quaſi ſinus Maris Balthici vel pars Maris. Quare & Plinius malè informatus locum hunc *mare* vocat *Chronium*; cum tamen barbarus qui hæc ipſi retulit forſan dixerit Curonium. Sicque mutatum per ſubtractam literam nomen Curonii in Cronium. Ab hoc mari Pliniano unius diei navigatione venire poſſumus ad ultimam Gleſſariarum, quam puto eſſe Samiam; veram ſuccini Dominam. Hic lacus ideò dicitur Curonicus hodie, quod terræ Curoniæ adjacet; imò etiam olim ad Curoniam ſpectavit. Videatur Henneb. in explicatione Tabulæ Pruſſ. in voce Memel. Occaſio inſuper eſſe poterat mutandi nomen Curonii lacus in Cronium vel Chronium, ipſe fluvius Chronus, qui modò audit *Niomon*, cujus exundantiâ videtur lacus ille Curonicus exortus fuiſſe. Hinc ille lacus Curonicus à fluvio Chrono qui antiquis audiit Chronius vel Cronius, accepiſſe nomen cenſendus eſt.

*Nerigon Inſula eſt Inſula Neria.*

*Niomon eſt Chronus fl.*

## §. IV.
## *De Migrationibus Herulorum Bellicis.*

HEruli ut *multorum populorum Auxiliatores*, teſte Jornande, multis ſe ultrò implicuerunt bellis. Jam enim Gothorum, jam Romanorum, tum Gepidarum, tùm denique aliorum de quibus infra, populorum ſocii confæderati exſtiteruut. Ita præter Evodium Procopius. [a] Celebriores illorum Expeditiones proponimus in ſequentibus. Prima *Expeditio* fuit *ad Iſtrum*, eaque *frequens*, nam pluries contigit. Primùm contigit ſub tempus *Claudii* Imperatoris, quo conjuncti fuerunt *Gothis*, *Peucinis*, *Trutingis*, *Auſtrogothis*, *Virtungis*, *Sigipedibus*, *Celtis*. &c. teſte Treb. Poll. in Vita Ca. Imp. R. Hujus expeditionis meminerunt Eutropius in breviario lib. 9. & Victor in vita Cla. Apud Caſſiodorum refertur expeditio hæc ſub nomine *Gothorum*. Apud Egnatium ſub nomine *Sarmatarum* & *Scytharum*. 2. Contigit tempore *Conſtantini* Cæſ. quando *Burgundionibus Alemannis*, *Chaujonis*, (legerim ego Jaujonis) *conjuncti*, præcipiti impetu in ditiones irruerunt Romanorum, haud tamen felici ſucceſſu: Cæſi enim & prope deleti ſunt univerſi. Videatur Nazarius Panegyr. 6. qui iterum ſe recolligentes viris viribusque aucti Iſtri ripam conſiderunt. Poſt hæc *Romanorum* facti

*Herulorum Expeditiones 1. ad Iſtrum contra Romanos.*

*2. Pro Romanis ad Iſtrū*

[a] lib. 3. Rer. Goth.

facti *Socii*, obtinuerunt liberam ad Iſtrum habitationem, ſtipendia ſub ſignis in caſtris Imperatorum meruerunt, de quibus in libris Præfectura-rum Notitiarum Orientis & Occidentis legere eſt. Videatur quoque Ammianus Marcell. In hiſtoria Valentii. Continuarunt ſua ſtipendia tempore Valentiani Honorii & Arcadii Imperat. Rom. usque ad tempora Juſtiniani Imp. Rom. à quo deſciverunt & Gothis aſſociati ab Iſtro moverunt.

*3. In Lyguriarum.* 2. In *Lyguriam*, cum verò in Uraja exercitum incidiſſent captivos omnes ac cæteram animantium prædam, quam ſecum abduxerunt, *4. Ad Venetorum loca.* hoſtibus tradiderunt. Inde *ad Venetorum* loca devenerunt. Procop. lib. 2. Hiſt. Goth. Succeſſu temporis à Gothis debellati imperium Gothorum ſubierunt, usque dum à Gothico ſervitio ſeſe liberandi occaſio illis affulſit, qua ſe iterum in libertatem vindicarent.

*5. In Longobardos.* 3. Celebris quoque fuit Herulorum Expeditio in Longobardos in Rugilandia, quos cum multis aliis confinibus ſibi ſubjugatos vectigales *Cauſa hujus expeditionis.* fecerunt. [a] His Heruli inſolentiores facti vicinos laceſſere, & cum ab iis ſtrenuè ſeſe defendentibus nihil evincere poſſent ſuos vectigales provocare intenderunt, armata manu in eorum terras irruentes. Longobardi omninò declinantes bellum, oratores mittunt, pacemque expoſtulant eo pacto; ſi de vectigali ſive tributo res ſit, ſe majus ſoluturos tributum appromittunt. Cumque iteratis legationibus pacem ab Herulis obtinere non poſſent comminationibus timorem illis incutere ſatagunt; atque ſe Dei auxilio fretos, inſultantibus obviam ire paratos reſpondent; ſicque conſerere manus cum Herulis coguntur ac prodigioſam victoriam referunt. *Unde*, (verba ſunt Procopii) *cum utrique in aciem conſtituiſſent, cœli pars ea, quæ Longobardorum imminere capitibus fortè contingerat, obſcuro quodam ac denſiſſimo nimbo contegebantur. Quæ verò Herulis supernè inſtiterat, lucida erat & nitidior. Qua ex re contemplari quis poterat ſuo cum infortunio ituros in pugnam Herulos. Non enim acerbius ullum barbaris poterat hoc eſſe portento in prælio conſtitutis, tametſi minus huic animum intenderent. Quin potiùs, cum nihil curæ attribuiſſent, in hoſtes ſecuri undabant, hominum multitudine belli finem metiti. Poſtquam verò manus pugnando conſere, ex Herulis quidem pars maxima cadit, & cum his ſimul Rudolphus ſeu Rodulphus Rex occumbit. Cæteri omnes fugam capeſſant. Ex hisque, inſtantibus hoſtibus & poſtrema carpentibus pars major interiit & pauci admodum incolumes evaſere.* Hæc Procopius. Eo prælio Herulos ad eas anguſtias redactos fuiſſe ſcribit Diaconus [a] ut deleta majori parte exercitûs, Rege occiſo ſupra ſe Reges ampliùs non habuerint. Idem ibidem aliam à Procopio affert belli Cauſam. Nimirum: *Germanus Rodulphi frater ad Tathonem Regem Longobardorum ferendæ pacis gratiâ venerat; qui cum expleta legatione patriam repeteret, contigit, ut ante regis filiæ domum, quæ Rametruda dicebatur, tranſitum haberet. Illa multitudinem virorum, nobilemque comitatum aſpiciens, interrogat, quis iſte eſſe poſſet, qui tam ſublime obſequium haberet? dictumque illi eſt, Rodulphi Regis Germanum legatione perfunctâ*

[a] Procop. lib. 2. Goth. [a] lib. 1. Longob. Giſtor. c. 20.

*functâ, patriam regredi. Mittit puella, qui eum invitaret, ut vini poculum dignaretur accipere. Ille corde ſimplici, ut invitatus fuerat, venit. Et quia erat ſtatura puſillus, eum faſtu ſuperbiæ puella deſpexit, verbaque adverſus eum irriſoria protulit. At ille verecundiâ pariterque indignatione perfuſus, talia rurſus verba reſpondit, quæ ampliorem puellæ confuſionem adferrent. Tum illa furore fœmineo accenſa, dolorem cordis cohibere non valens, ſcelus quod mente conceperat, explere contendit: ſimul ad patientiam vultum exhilarat, eumque verbis jucundioribus demulcens, ad ſedendum invitat, talique eum in loco ſedere conſtituit, quo parietes feneſtram, quaſi ob hoſpitis honorem, re autem vera, ne eum aliqua pulſaret ſuſpicio, velamine texerat protioſo; præcipiens atrociſſima belua propriis pueris, ut cum ipſa acſi ad pincernam loquens: Miſce, dixiſſet, illi à tergo eum lanceis perfoderent. Factumque eſt: & ut mox crudelis fœmina ſignum dedit, iniqua mandata perficiuntur. Ipſeque vulneribus transfixus in terram corruens exſpiravit. Ea cum Rudolpho Regi nunciata fuiſſent, tam crudele Germani funus ingemuit; dolorisque impatiens bellum Thatoni Longobardorum Regi indixit. Hæc Diaconus.*

Propter memoratas expeditiones memorabilis eſt 4to illa Herulorum *in Italiam*. Facta ſub Odoacre Rege Rugorum, qui Italiam ultra 13 annos ſubjectam ſibi tenuit. Hujus expeditionis meminêre Paulus Diaconus [a] Eugippius [b] Otto Friſingenſis [c] Pomponius Lætus. [d] *6. In Italiam.*

Memoratur quoque 5to Herulorum migratio bellica in *Pannoniam ſuperiorem* ſupra Iſtrum, tempore Juſtiniani, poſt victoriam Longobardorum, qui ſupra Iſtrum habitârunt. De ea agit Procopius [e] ubi refert, quod Narſeti Eunucho Juſtiniani Cæſar. militiæ magiſtro auxilium Heruli tulerint; & poſt hiberna Thracica ad Belliſarium transmiſſi ſint, atque id temporis Slavinos Illyricum ingreſſos in acie vicerint, referente eodem. [a] Sicque Herulorum magna pars ſub Romanorum Imperat. protectione permanſerat, aliis ad Gothos, ad Langobardos aliis, cæteris ad Rugas deſciſcentibus. De quo legendi Procopius c. l. P. Diaconus [b] Eugippius [c] qui etiam meminit alicujus Felethei Regis Herulorum & Rugorum, eumque ſedem ad Oenum habuiſſe refert. Id eſt in Auſtria Vid. Lazius. *7. In Pannonia pro Romanis.*

Tandem 6to in *Valeria* quoque bellâſſe Herulos tempore Mauricii Imperat. ſcilicet in finibus hodiernæ Slavoniæ, in Comitatu Ciilienſi, agro Sirmienſi Carniolainoni & Windorum teſtantur Authores ideoque legendi Procopius lib. 3. Hiſt. Goth. Evodius Panegyriſt. in Antonii Hiſtoria &c. Denique ab Anaſtaſio Imperat. Rom. victi & transpoſiti, commodas ad habitandam terras ab Imperatoribus deſtinatas poſſiderunt. Videatur Procopius &c. *7. In Valeria.*

L §. V.

a lib. 2. Hiſt. Longobard. c. 12. b in Hiſtoria S. Severini. c. lib. 4. Chronic. c. 30. d. in Vita Leonis. e lib. 2. & 3. cit. a lib. 3. Hiſt. Goth. b l. 1. c. 19. c t. c. d lib. 12.

## §. V.

## *Reges Herulorum ad Mare Balthicum in Rugia, VVerulia.*

HOrum Catalogum proponimus ex Genealogiis M. Hieronymi Hennin. [a] Ita ille recenſet Principes Herulorum.

1. Eſt *Antyrius* bellator ſtrenuus ſub Alexandro Magno. Uxor illius fuit Simbulla, (juxta, alios Samulla) filia Regis Gothorum. Succeſſit filius.

2. *Anavas*, qui ducta *Orythia* filia Regis Sarmatarum vel Poloniæ reliquit poſt fata filium.

3. *Alimer*. Cui ex filia Regis Rugianorum ſucceſſit.

4. *Antyrius*. Hujus filius ex Maria filia Regis Daniæ.

5. *Hutherus* Imperium aſſecutus eſt. Poſt quem

6 *Viſislaus* rexit annos 56. Hunc excepit

7. *Vitislaus*. Cui ex Anamia Regis Gothor. filia.

8. *Alaricus* ſucceſſit. Hic Colonias duxiſſe in Marchiam Brandeburg. fertur. Reliquit filium

*Triticum* poſt quem ſecutus Tenericus, qui ex Bigonna filia Regis Turingorum *Fridrigerni* Succeſſorem reliquit Albericum, qui Sveciam ſibi ſubjugâſſe dicitur. Rexit 55. ann. Hunc excepit *VViſimarus* temporibus Conſtantini M. Imp. donatus parte aliqua Ungariæ: Huic ex Uxore *Atnalaſuntha* erat *Miecislaus*, Rex deinde Herulorum, Polonorum, Gothorum. Poſt quem ſecutus eſt *Radagaſtus*, qui cum Gothis Thraciam, Pannoniam Noricum & Illyricum depopulatus, Stiliconis juſſu necatus, ſucceſſorem reliquit, cui nomen *Corſico*. Is cum Vandalis per Galliam usque ad Pyrenæos montes progreſſus, tandem vitæ ſatur Principatu & fatis ceſſit. Succeſſit *Fredebaldus*, inſignis Italiæ hoſtis, cujus Succeſſor fuit filius ex *Themiorna* Gothorum Regis filia, *Gundericus*. Is Hiſpaniam ſuperavit, Carthaginem evertit, Hiſpalim diruit. Hujus filius creditur *Rodulphus*, ſeu *Rudolphus*, qui à Tathone Langobardorum Rege, prælio victus occubuit. de quo ſupra. Poſt cujus fata regnavit *Genſericus* Rex Vandalorum Herulorum. Is Hipponem, ubi anno obſidionis imo D. Auguſtinus Epiſcopus mortuus eſt, obſedit. Poſt hujus fata ad Mare Balthicum regnavit filius *Viſilaus*. Huic ſucceſſit filius *Alaricus*. Hunc excepit *Albericus*, qui ex *Siriſſa* Sarmatica ſeu Polonica Regni Succeſſorem poſt fata habuit filium Joannem; quem excepit *Radaguſus II.*, magnus contra Marcomannos bellator; ex quo nati *Viſislaus* & *Aribertus*. Ex hoc *Billungus*, teſte Helmoldo, Rex Herulorum, Sarmatarum & Vandalorum. Dominus terrarum à Viſtula fluvio usque ad Viſurgim & ab Odera usque ad Holſatiam, ſeu Nord-Albingiam. Chriſtianus factus. Cui ex *Medea*, Sarmata, Principe Ethnica filius ſucceſſit, *Miſislaus*, quo ætatis anno 99. mortuo, regnavit *Miſtivojus*, cognomento Gigas, Religione Chriſtianus Uxorem habuit *Mar-*

[a] Parte altera, 2 di & 3 tii Regni in 4ta Monarchia.

*Margaretham*, neptem Henrici Aucupis, qua defuncta, deſponſavit ſibi *Mechtildem* filiam Ducis Saxoniæ. Verùm cùm has nuptias irritas feciſſet *Marchio* Brandeb. *Theodoricus* religionem abjecit Chriſtianam, ac multùm Brandeburgenſes afflixit. Verùm demum pœnitentiâ ductus reſipuit, exilium ſpontè elegit, & *Bardevici* confectus ſenio mortuus eſt Ao. 1205. Poſt hanc regnavit *Anadraus* & *Otto*. Dein *Godeſchalcus*, crudelis perſecutor ex apoſtata factus Chriſtianorum. Huic ſucceſſit ex Simbulla Mieceslai Reg. Pol. filia *Buthuve*. Poſt cujus fata regnavit *Bibislaus*, poſt hunc *Niclotus*; quem excepit *Pribislaus II.* poſt quem *Henricus Burecinus I.*, qui ex Uxore Mechtilde Polona reliquit Succeſſorem Henricum Burecinum II. Principem Vandalorum ſeu Herulorum, ex quo Moderni Duces Meclenburgenſes deſcendunt. Vid. Heninin. c. l. p. 2696.

## *Reges Herulorum in Finibus Pannoniæ & Norici.*

1. Eſt *Flachitetus*, cujus meminit P. Diaçonus l. 1. c. 29.
2. Eſt *Feletheus* ad Chriſti fidem converſus.
3. *Tricicicus* qui à Chriſti fide defecit. Eugippius.
4. *Huniricus* Friederici frater Procop. lib. 2. Goth.

Hoc occiſo ex Thule Principes accerſiti.

## *Reges Herulorum in Valeria.*

1. *Dates* ex Thule Inſula adſcitus. Hunc excepit *Aordus* frater. Interpoſitus autem fuit à Juſtiniano *Suartus*. Meminerunt inſuper Authores Regum quorundam in Valeria, quorum nomina ſunt.

*Grates* Chriſtianus factus de quo Otto Friſingenſis l. 5. c. 4.

*Vidomarus*, à quo S. Juvavienſis Epiſc. Martyrii palmam obtinuit.

*Sinduvaldus*, claruit hic bello Gothico ſub Narſete, rebellis poſtea factus, ſuſpenſus in trabe periit.

## *Reges Herulorum in Dalmatia.*

*Phaniteus* de quo Procopius l. 2. Goth. hiſt.
*Aliath.* & *Philimath* Idem c. l.
*Gryntas*. Idem ibid.

Videatur de his fuſiùs Lazius lib. 12.
De Migrationibus Gentium.

# CAPUT V.
## *De Longobardis.*

ETiam Longobardos Genus Gothicum & Sanguinem Europa reverita & venerata eſt, ceu Martis gloriâ inſignes.

§. I.

## §. I.

## *De Nomine Langobardorum.*

*Nomen Langobardorum variat.*

HOrum nomen dupliciter apud Authores ſcribitur. Tacitus, Strabo, Ptolomæus, Procopius. P. Diaconus ſcribunt *Langobardos*, Æthicus & alii ejuſdem ævi Auctores ſcribunt per O. ſcil. *Longobardos.* Diacono videntur *Vinuli* eſſe, quorum inſignem numerum Viſtulam accoluiſſe putat. Unde verò nomen? Certò non conſtat. P. Diacono l. 1. c. 9. videtur Longobardos, prius Vinulos dictos, ab *intactæ ferro barbæ longitudine* ſic poſſe appellatos eſſe. Siquidem juxta linguam Teutoniam *Lang*; *longum*, *bart*, *barbam* ſignificat. quaſi diceres *longobarbos*; ſive *homines prolixarum barbarum.* Quæ derivatio probatur Cluverio, cùm à ſimili argumento in Aſia populi dicantur μακεϱπαίγαϛνες ſcil. *viri promiſſarum barbarum* ſeu *longi barbi*: teſte Strabone lib. 11. Germaniæ quoque populis quibuſdam ſcil. Cattis in uſu fuerat, *Crines & barbam ſubmittere ac nonniſi hoſte cæſo barbam crinesque alere.* Tacitus de moribus Germ. Saxoni Grammatico videtur nomen id derivandum eſſe à *bardis*. Genus erat Sacerdotum gentilium. Lazio alia placuit derivatio: Putat ille ex Teutonico dictos eſſe quaſi **die Landwarter** literis B. in V. & D. in T. mutatis. Id eſt Terminorum ſeu limitum Cuſtodes, quam vocem audit à Romanis paulatim ob conſonantiam vocabulorum corruptam, atque ſic in Longobardos fuiſſe detortam. Ita inquit idem. Vocem hanc Viteraw in Viterbium Romani deflexerunt. Eſt inſuper cujuſdem ingenioſa magis, quam veritati conſentanea deductio, (quamquam in vetuſtate rara veritas, inter tot potiſſimum ſcriptorum diſcrepantias) e voce Latino compoſita Longus & bardus à Romanis inventa, & impoſita genti, quod eam & longam, id eſt Proceram ſtatura, & bardam moribus id eſt barbariorem notaverint. Verùm mihi neque P. Diaconi neque Lazii derivatio placet. Cum enim Longobardorum populus fuerit Gothicus, Gothicôque uſus fuerit Idiomate, neque illum ab aliena ſumpſiſſe lingua, ab alieno ore impoſitum acceptâſſe nomen, mihi omninò probabile eſt. Non abſona videtur derivatio E. Dietzelii, qui ex lingua Gothica, à vocibus Langus id eſt latus & bardus ſeu pro hodierna dialecto bardzvis. (Polonis Bardyſź) Aſcia lata militaris longo ferri acumine ligneoque manubrio, nomen id deducit. Unde hodiedum apud noſtros Sarmatas in Pruſſia, Zamogethia, Ruſſia, ſeu Langbardźei item Langbardiſźci dicuntur illi, qui ejuſmodi gerunt tela. Geſtâſſe autem hujuſmodi tela Longobardos conſtat ex Auctoribus.

*Derivatio ejus nominis ex mente Diaconi.* *Cluverii.* *Saxonis.* *Lazii.* *Alicujus Neoterici.* *Erneſti Dietzelii.*

## §. II.

## *De Origine Langobardorum.*

IN hoc diſſentiunt Authores Ptolomæus Germaniam horum populorum Matrem aſſignat, & Langobardos ad Rhenum Svevis Sigambrisque conjungit. P. Diaconus lib. 11. Gothicæ illas & Vandalicæ Originis eſſe aſſerit. Sed ſuo ſenſu. Scilic. deducit eos ex Scandinavia Inſula, per

*Langobardi Gothicæ Originis.*

perquam intelligit Sveciæ Regnum. Saxo Grammaticus vult Danos eſſe, indeque progreſſos narrat hac de cauſa, quod aquam illic bibere moleſtum illis fuerit, quod tamen ipſis injunctum erat. Verba Auctoris refero: *Sat Svione*, inquit, *Rege Daniæ, magnam cariſtiam ortam, quod tenuius triticum proveniſſet, idcirco legibus Regem caviſſe, ut frumentum non abſumeretur in potum, ſed aquam biberent, ad tempus duntaxat. Quòd cum durum nimis genti videretur, concluſum eſſe poſtremò, ut fœminas ſenes omnesque infantes puerosque necarent. Hic mulierem nobilem, cum edictum per filios comperiſſet, regi per eosdem renunciâſſe, ut à tam crudeli conſulto temperaret: Verùm alia ratione ageret, ut ſorte videlicet miſſa, quam tribum ea contigiſſet, Inſulâ illâ exire cogeretur, alibi quæſitum terras. Cui conſilio cum Rex paruiſſet, Schonlandinos Gothlandinos egredi coactos.* Verùm probabilius mihi videtur Langobardos omninò inter Gothicos populos, ſive Gotho-Sarmatas eſſe referendos. Tum, quia *Gothis* & *Svevis* noſtratibus ab Auctoribus plerumque *annumerantur*. Vid. Paul. Diac. II. Laz. lib. 12. p. 802. Gothos autem & Svevos fuiſſe Sarmatas jam ſuperiùs lib. 1. demonſtravimus. Tum quia *lingua Lombardica* eadem fuit quæ & Herulorum; Hanc autem fuiſſe Slavonicam fuſiùs alibi demonſtravimus. Vid. delic. Antiquit. Pruſſ. Tum, quia *Longobardi Burgundionum confines* fuere, adeoque non procul eos à Viſtula fl. fuiſſe probabile eſt. Cis Albim fuiſſe tradunt Strabo lib 7. Svetonius in Aug. Paterculus lib. 2. Ibi ab antiquo Slavos conſediſſe communiſſima Authorum ſententia eſt.

*Num Dani?*

*Langobardi Gothi.*

## §. III.

## *De Patria genuina ſeu ſitu Longobardiæ antiquæ.*

IN hac re multus eſt inter Authores diſſenſus. Originalem terram Longobardorum facit Diaconus *Scandinaviam*, ex qua in *Scoringiam*, hinc in *Moringiam* denique in *Rugilandiam* eos diſceſſiſſe refert; Atque ex his oris egreſſos fuiſſe Ducibus *Ibore* & *Agione*, juvenili ætate at ſenili ingenio floridis, quorum matrem vocat ille *Gombaram* nomine, fortis mulierem animi, prudentiæque eximiæ: cujus ductu migratio hæc inſtituta fuiſſe creditur. Adſtipulari videtur huic ſententiæ Lazius c. l. Tacitus verò Langobardos *ad Rhenum* Svevis Sigamburg. confines collocat. Cluverius aſſignat iis has provincias: *Marchiam Brandeburgenſem* mediam, partem *Magdeburgenſis Archiepiſcopatus* dextræ Albis ripæ adfixam. Cui quod hac in re opponam, non habeo, addendum tamen prædictis cenſeo, & aſſignandum locum quendam inter *Oderam* & *Viſtulam*, pro prima originali ſede, unde ad Albim ad Iſtrum usque progreſſos eſſe his perſuadeor argumentis: 1. quod Burgundionibus confines fuiſſe Langobardos aſſerat P. Diaconus; hos autem in Viſtulanis agris conſediſſe ſuperiùs oſtenſum eſt. 2. Idem refert Langobardos in *Rugelandiam profectos*, pleraque ibi prælia confeciſſe. Per Rugelandiam verò nonniſi Pomeraniam intelligi debere, patet ex principe Pomeranorum terra Inſulari Rugen, dicta. 3. Idem habet quod Langobardi

*Longobardorum Patria num Scandinavia?*

*Num terra ad Rhenum?*

*Num Marchia Brandeburgica?*

*Auctoris Sententia.*

*Longobardi confines Burgundionibus.*

*Rugelandia.*

M

bardi cum *Bulgaris* conflixerint, quod fieri non poterat, ſi ad ripam Rheni conſediſſent illi neque intermedias terras ad Viſtulam & Iſtrum occupâſſent & debellâſſent, aliàs cum Bulgaris nequaquam potuiſſent. Hinc probabile eſt, Langobardos, ſi non in terris Gothicis conſederant in confiniis illarum conſediſſe. Neq; obſtat, quod Tacitus ad Rhenum eos collocat. *Suevisque Sigembrisque* conjungere videatur. Probabile enim eſt, Gothicis illos oris egreſſos vel expulſos ad Rhenum commigrâſſe. Inde eſt, quod mentio fiat apud Authores. *Sarmatorum trans & cis Rhenanorum.* Et certè videtur id ſequi ex voce *Sigambri*, quam ego puto Gothicam eſſe & denotare excurſorem à Zygas, id eſt Curſus, deductam de quo alibi. Vid. lib. 1. Orb. Goth.

*Sarmatæ trans & cis Rhenani.*
*Vox Sigambri Gothica.*

## §. IV.
## *De Langobardorum Migrationibus & Expeditionibus Bellicis.*

PAulus Diaconus, qui ex profeſſo res Longobardorum tractandi munus in ſe ſuſcepit primam Longobardorum migrationem dicit factam fuiſſe in *Scoringiam.* Ex qua in Moringiam. Una cum Vinulis & Vandalis in Rugilandiam progreſſi, tum in terras Antibonum, Bontaibonum, Burgundaibonum; eas omnes ſibi ſubjugârunt, ibique per aliquot annos reſederunt tanquam regionum illarum Domini. Illorum Ducem nominat *Agilmundum*, *Azilionis* filium, ex illuſtri *Gungingorum* proſapia; inde in *Bugilandiam* conceſſerunt, ubi à Bulgaris noctu caſtra ſua invadentibus occiſo Duce attriti ſunt fugatique. Verùm ſeſe poſt fugam cladem que illam recolligentes, *Lamiſſone* in Ducem electo cladem ulturi, arma iterum contra Bulgaros expediunt, neque infeliciter bella gerunt. Inde ad Rhenum contra Romanos profecti ſunt, minùs tamen feliciter, licet ſatis ferociter de quo Velle. in Hiſtor. Tiberii Cæſ. qui Longobardorum gentem vocat *gentem Germanorum feritate Ferociorem.*

*Migratio Longobardorū.*
*1. In Scoringiam.*
*2. In Moringiam.*
*3. In Rugilandiam.*
*4. In terras Antaibonum Bontaibonum, &c.*
*5. In Bugilandiam.*
*6. Contra Bulgaros.*
*7. Ad Rhenum contra Romanos.*

Bellum quoque Longobardorum ab Auctoribus celebratur, quod contra Herulos, eorumque Regem *Rudolphum* geſſerunt. Cauſa belli hujus juxta Diaconum fuit, *inſidioſa trucidatio fratris Rudolphi* Regis à filia Tathonis Longobard. Reg. de quo ſupra, quamvis aliam cauſam ex Procopio ibidem attulerimus. Hoc bello Heruli à Longobardis profligati in confiniis Moraviæ, Hungariæ, Ruſſiæ, terris ſuis ceſſerunt Victoribus. Poſt hæc cum Svevis Martis gloriâ inſignibus manus conſerere cogebantur, variis illorum irruptionibus laceſſiti, quas ſtrenuè repellentes, Rege coram Wachone ſuperato in Gepidiam usque fugaverunt. Eorum Rex à Rege Gepidarum humaniter ſuſceptus eſt & honeſtè ad dies vitæ habitus eſt: quæ tamen res cauſam deinde belli inter Longobardos & Gepidas dedit, uti refert. [a] Magnam eo bello Gepidæ perpeſſi ſunt cladem, cùm Romani Longobardis aſſiſterent. In Pannonia bellum hoc fuiſſe geſtum teſtatur ibidem Procopius.

*8. Contra Herulos in confiniis Moraviæ Hungariæ & Ruſſiæ.*
*9. Contra Svevos.*
*10. Contra Gepedas.*

Deni-

a lib. 1. c. 15.

Denique Longobardi annos 42 in Pannonia commorati, *Italiæ* inhiârunt; & quidem illi Regioni, quæ Galliæ conjungitur, Pado flumine irrigua; modo civitatibus cultu egregiis cernitur: nimirum *Mediolano*, *Ticino*, *Taurino*, *Æſtenſi oppido*, *Crema*, *Cremona*, *Placentia*, *Parma*, *Bergamo*, *Brixia*, *Mantua*, *Verona aliisque hujusmodi*. In quo terrarum tractu refert Lazius c. l. Regnum Longobardorum exortum eſſe, complectens in ſe *Comenſem*, *Tridentinum*, *Foro Julienſem* & *Beneventanum in* Apulia Ducatus. Procopius Expeditionis hujus cauſam hanc proponit: Nimirum *Auclusem* cum aliquot millibus Longobardorum *Juſtinianus* Imperator, in Italiam adverſus Gothos miſerat; qui ubi Italiæ fertilitatem primùm conſpicati, amœnitatemque ejus admirati ſint, inhiare poſſeſſioni, jam ab illo tempore cæperunt. Paulus Diaconus, aliam reddit cauſam adventûs Longobardorum in Italiam; nimirum, quod à *Narſete* Eunucho Duce Romani exercitûs evocati eſſent irritato à *Sophia* Juſtini Imperatoris uxore, quod redire ad gynæceum per nuncium juſſus eſſet è caſtris. Ita ille lib. 2. c. 5. *Tunc Juſtinus Auguſtus, in tantum adverſus Narſetem commotus eſt, ut ſtatim in Italiam Longinum Præfectum mitteret, qui Narſetis locum obtineret. Narſes verò his cognitis valdè timuit: & usque adeò à Sophia Auguſta perterritus eſt, ut ultra regredi Conſtantinopolim non auderet. Cui inter cætera, quia Eunuchus erat, illa hoc fertur mandâſſe, ut cum puellis in gynæceo lanarum penſa faceret dividere. Ad quæ Narſes reſpondiſſe fertur talem ſe eidem telam orditurum qualem ipſa dum viveret, deponere ac detexere non poſſet. Itaque odio metuque exagitatus Neapolim Campaniæ Civitatem ſecedit. Unde legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans, uti pauperrima Pannoniæ rura deſerant, & ad posſidendam Italiam, cunctis refertam divitiis veniant, ſimulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, ad eos mittit, quibus eos ad veniendum citiùs posſit illicere. Inde Albuinus Rex Longobardorum adſcitis ad ſe Saxonibus, cum ſedes proprias Hunnis amicis ſuis conceſſiſſet, per forum Julium Italiam cum exercitu ingreſſus, rerumque Italiæ potius eſt.* Duorum ſeculorum ſpatio ſub regimine Longobardorum continuato ordine ſibi ſuccedentium Regnum Italiæ tenebatur.

11. *In Pannonia.*
12. *In Italia.*
Regnum Longobardorũ.
*Cauſa hujus* Expeditionis *ex Procopio.*
*Alii ex P. Diacono.*

## §. V.

## *Catalogus Regum Langobardorum in Germania Gotho-Sarmatica & in Pannonia.*

IBor & *Agon* primi dicuntur Langobardorum Duces, ſub quibus primos omnium in Scanziam fuiſſe ingreſſos ſcribit, ſed è ſuo ſenſu Diaconus c. l. Eos ſecutus eſt in Regimine.

2. *Agilmundus*, Agonis filius, à quo *Gunginorum* gens ac proſapia defluxit.

3. *Lamiſto*, qui feliciter contra Bulgaros bella geſſit.

4. *Leth.* Hunc in Patria rexiſſe ſuos refert Diaconus l. 1. c. 12.

5. *Gildeochus* qui itidem in Patria regnavit.

6. *Gede-*

6. *Gedeochus* Coævus *Felethei* Herulorum Regis.

7. *Claſſo*, cui ſucceſſit

8. *Tatho*. Is *Rudolphum* Regem Herulorum vicit.

9. *VVacho*. Hic Procopio audit *Baces*.

10. *Waltharius*, ſeu *Baldarius* filius Bacæ.

11. *Andonius* ſeu *Andibuſes* in Pannonia Rex. Huic filius ſucceſſit.

12. *Albuinus*, qui concedens Pannoniæ, quam obtinuerat, partem Hunnis, expeditionem feliciter ſuſcepit in Italiam, à quo Reges Langobardorum in Italia cæperunt.

## §. VI.

## *Reges Langobardorum in Italia.*

1. ALbuinus clarus victoria de Gepidibus, *Liguriam* cum *Foro-Julio* vicinisque regionibus occupavit Ao. 568. conjugis inſidiis interfectus periit. Succeſſit

2. *Clefus*, filius, juxta quosdam Albuini, quo mortuo interregnum fuit, Ducibus interea regnum adminiſtrantibus, eorumque nomina ſunt; *Zabaras*, *Alboinus*, *Villerus*, *Alachis*, *Aomus* & *Giſulphus*.

3. *Autharius*. Regnavit temporibus Gregorii Papæ.

4. *Agiulphus*, temporibus *Gregorii* & *Liberii* PP. RR. *Mauritii* verò & *Phocæ* Impp.

5. *Adalvaldus*, ob ignaviam *Depoſitus* regno.

6. *Arioaldus* regnavit annis decem.

7. *Rotharius* rexit. 16 ann.

8. *Rodoaldus* ſucceſſit Patri Reg. 5. annis.

9. *Aribertus* filius *Gundobaldi* fratris *Theodelindæ* Reginæ, cujus maritus fuit *Adavaldus*.

10. *Grimoaldus*, filiis Ariberti expulſis, intruſit ſe, Regnumque obtinuit.

11. *Barthəritus* filius Ariberti poſt mortem Grimoaldi Rex Longobardorum. Is anno 8. *Chunibertum* filium in ſocietatem Regni adſcivit, & cum eo decem inſuper annos regnavit.

12. *Chunibertus* filius Parthariti. Is ab *Alahi Brixiano Duce* privatus primùm Regno, ſed auxilio *Aldonis* & *Grauſonis* Brixianorum civium poſtea reſtitutus.

13. *Ragunbertus* adverſus *Luitbertum* Chuniberti Regis filium Rex deſignatus. Poſt annum Luitbertiani regiminis regnum occupavit.

14. *Aribertus II.* Chuniberti Regis quondam filius cui ſucceſſit.

15. *Luitprandus*, Ariberti filius, contra Romanos contraque Saracenos vario Marte bellavit. *Domitor Traſimundi Ducis Spoletanorum & Beneventorum*. Obiit ann. 31. Regni ſui.

16. *Aiſtulphus* nepos Luitprandi, ſedi Romanæ infenſus & infeſtus à *Pipino* Rege Francorum domitus, adactus eſt, Romanæ cathedræ omnia, quæ ademerat, reſtituere.

17. *Deſi-*

17. *Deſiderius* itidem Sedi Romanæ injurius, à *Carolo Magno* Rege Francorum, quem Papa *Adrianus* in auxilium vocaverat, debellatus & occiſus eſt, videatur Otto Friſigenſ. lib. 5. Chron. c. 26.

# CAPUT VI.

## *De Rugiis.*

RUgii Herulis Longobardisque vicini, iisque ſæpiùs immiſti omnino ad Gothicos referendi ſunt populos.

### §. I.

### *De Nomine Origine ſituque Rugiorum.*

RUgiorum quoque nomen apud Authores variat. Dicuntur Ptolomæo, Tacito, Pollioni &c. *Rugii* & *Rugi*. Procopio *Rogi*. Jornandes *duo* facit *Rugiorum genera*; quorum alterum *Ulmerugos*, alterum *Ethelrugos* nominat. Unde nomen derivandum ſit, neque Veteres, quod ſciam, neque Recentiores nobis demonſtrant. Amicorum nonnemo id nominis à Sarmato-Gothica voce *Ruojius* derivat. *Locum ea deliciarum* denotat. Et certè Inſula Rugiorum multis in vicinia aliisque non cedit locis fertilitate terræ, ubertate fructuum, pecorumque abundantiâ ſemper celeberrima. Placet aliis à Voce *Rogus*, unde *Rogſu* id eſt *emineo ſtaturâ*, ſive *procerus ſum*, illud nomen deducere. Sanè *Rugii* præ Italis Gallisque *proceritate* corporis eminebant atque omnibus hac ex re commendabiles fuerunt. Ludunt & fingunt, qui putant à Romanis impoſitum genti huic id nomen, deductumque à *rugis*, quas illa *fronte & veſtibus* multas præferebant, quaſi *Rugi Rugoſi* eſſent *vultu & veſtitu*, indeque nomen adepti. Hanc verò Romani, gentibus à ſe diverſis imponebant nomina aut illæ impoſita acceptabant? Vero ſimilius eſt, quod quidam affert, ſentiens è Polona voce *Rug* id eſt *Cornu* nomen id deducendum eſſe, quod ſcilicet Rugis & Polonis vicini eſſent, & *cornigera* pecude abundarent, & illius capite cornuto pro inſigni gentis ſtemmate uterentur. Sic usque nunc viget in Polonia familia *Rogallorum* quaſi *Cornigerorum* dicta. Sed liber eſt cuilibet in his ſenſus. *Variat Nomen Rugiorũ.* *Unde derivandum ſit?*

Unde primitùs venerint Rugii, etiam in hoc diſſentiunt Authores; Jornandes illos ſicut & alios plerosque, de quibus ſupra, ex ſua deducit *Scanzia*; quod ceu fabuloſum rejicimus, melius perſuaſi, eos fuiſſe originis Gothicæ, ideoque ad Slavinos Gothicosque referendos eſſe populos. Nam (1.) expreſſè Procopius [a] Rugios vocat Gothos. (2.) Jornandes ipſe ad minores eos Gothos reducit, quos tamen immenſum populum vocat. (3.) Ipſi Gothi in ſuorum electione Regum ſæpiſſimè reflectebant ad Rugiorum Principes, ex iisque ſibi Reges adſciſcebant. Sic *Alaricus*, *Odoaces*, *Araricus* Rugii erant Regesque Gothorum. (4.) Tandem ipſi Rugii cum Gothis Vandalis Herulis, uno commilitiæ vin- *Patria Rugiorum.* *Rugii Gothi.*

N

a lib. 1. Inſt. Goth.

vinculo ſemper juncti fuerunt, Gothorum Regibus paruerunt: adeoque quæ de Gothis & Herulis referunt Authores eadem de Rugiis dicenda ſcribendaque putamus.

*Varii populi Rugicæ gentis.* Non unum tamen Rugicæ gentis fuiſſe populum, Jornandes refert. Alios enim *Ulmirugos*, alios *Ethelrugos* nominat. Inſuper fuerunt Rugii *Turcelingi*, qui Duce Ottocaro in Italiam commigrârunt, ſed à *Theodorico* Gothorum Rege penè confecti. His annumerandi *Lemovii.* videntur *Lemovii*, quos Tacitus facit Rugiis Gothonibusque confines. Puto etiam eos cum Rugiis ad Maris Balthici litora vel in Inſulis conſediſſe, ibique agros non infœcundos coluiſſe. Eo reſpicere videtur nomen ipſius *Lemovi*, quod *felicem* denotat, alludit planè ad *locum deliciarum*, ſcil. *Rugiam*, in qua illi conſederant. Cætera Rugiorum nomina ex eadem quoque Gothorum lingua derivari poſſe videntur. Ita *Ulmeringi* ſunt Rugii, qui in *Ula* id eſt *Speluncis Inſulisque* habitârunt: *Ethelrugi* *Rugii olim feri.* ſunt quaſi *acres Rugii & feri.* Et certè hi fuere in Italia feri ſatis, de quibus Ennodius in vita D. Epiphanii ſcribit: *Poſt hinc, digreſſis Gothis, civitas Ticinenſis Rugis eſt tradita; hominibus omni feritate immanibus; quos atrox & acerba vis animorum ad quotidiana ſcelera ſollicitabat. Diem putabant periiſſe, qui illos ſine facinore, caſu aliquo interveniente,* *Turcelingi.* *fugiſſet.* Vox *Turcelingi* ferè ejusdem ſenſus videtur. Derivari poteſt a *Dargus*, pro quo hodierni Nadravi, *Dargus* & *Darkus* efferunt. Denotat ea vox *levem, ferum, petulantem.* Sed in his pro ſolenni clauſula *Situs Rugiæ.* mea, liber unicuique ſenſus eſto. *Terras his populis aſſignat Cluverius* has: ſcilicet, Pomeraniæ partem, qua oppida Stargard, Golnow Wollyn, Camyn, Nyen-Treptau, Colberg, Corlin, Coslin, item portionem Marchiæ, qua loca Trauborg Falkenburg, Schoffelbein poſita ſpectantur. Situs hic videtur rectè poſitus, niſi quod præter terras cum *Rugowalde* ſitas etiam *Rugia* Inſula ipſis aſſignanda videatur.

## §. II.

## *De Expeditionibus & Regibus Veterum Rugiorum.*

EXpeditiones hujus gentis cùm ſemper Gothis Herulis, Langobardis conjuncta immixtaque fuerit, ferè ad illas expeditiones, quas Gothi eorumque commilitones populi, ſubierunt, referendæ videntur. Cele-*Odoacer Rex Rugorum.* briores tamen, quæ iis potiſſimùm ſolent adſcribi, ſunt quas habuerunt ſub *Odoacre.* (Aliis Ottocaro) Rugiorum Herulorumque Rege. Harum expeditionum meminerunt P. Diaconus [a] Agathias [b] Eugippius [c] Otto Friſingenſis [d]. Odoacer hic *Oreſtem* Patricium Romanum in Liguria victum acie, occidit & filium ejus *Auguſtulum* Cæſarem exilio damnavit. Tandem à *Theodorico* Gothorum Rege Anno Regiminis 14 Zenone imperante victus eſt & interfectus.

*Reges Rugiorum.* De *Regibus Rugiorum* veterum haud multum nobis ſuppeditant Authores; qui aliquod inter eos nomen in exteris præcipuè regionibus meruerunt, ſunt Authoribus, quos habui, referentibus, ſequentes.

1. *Su-*

a lib. 1. c. 19. b c. l. c c. l. d lib. 4. Chron. c. 30. & lib. 5. c. 1.

1. *Suba*, alter maritus *Giſæ* quæ *Feletheo* Herulorum Regi in finibus Pannoniæ & Norici primò ſe conjunxerat.

2. *Suba* & *Humulphus* fratres Germani & filii Subæ. De quibus Eugippius in Hiſtoria Herulorum.

3. *Odoacer* de quo proximè mentio facta.

4. *Illibaldus* Præfectus Rugiorum poſteritatis in Italia, quæ cladi ſuperfuerat à Gothis illatæ. De quo hæc habet Procopius [a] *Illibaldus*, inquit, *vir ſane induſtrius, Veronæ urbis tunc forte cuſtodiam nactus, Oratores cæteros ſubſecutus ad Belliſarium miſit, qui ejus apud ſe liberos detinebat, haud tamen Ravennam ſe contulit nec Belliſarii ſe virtute obſtrinxit.*

5. *Araricus* à Rugiis Rex proclamatus. Procop. lib. 3. Goth.

6. *Vidomarus* aliis *Viridomarus* Rugorum poſteritatem ex Italia abduxit: aſſumptisque *Herulis Scyris*, *Slavinis* Noricum depopulatus eſt. Is eſt, qui B. *Maximum* Juvanienſem Epiſcopium cum 40 Chriſtianis in Scopulos proximos confugientes ad Martyrii palmam coegit. Vid. Lazius. c. l. p. 812.

# CAPUT VII.

## *De Marcomannis & Quadis.*

MArcomannorum gloria inſignis, nomen celeberrimum ac Romanis totique fere Orbi non modo probatum ſed & formidandum fuit. Ad *Suevos*, qui antiquitùs Gotho-Sarmatis annumerabantur (de quo lib. I.) olim relati, ab illis diſcrepare ſedibus magis & agrorum cultura veſtituque, quam lingua & moribus viſi ſunt.

### §. I.

### *De Nomine Marcomannorum.*

NOmen populi hujus unde ſit, non idem eſt doctorum virorum ſenſus. Lazius lib. 9. Marcomannorum nomen Teutonicum putat, dictosque eſſe eo modo, quo Germanice dicerentur, **die Marck-Männer.** Id eſt *limitanei viri*, quamvis in hac derivatione non ubique ſibi conſtet. Jam enim à *Marco* fluv. Auſtriæ, jam à *Marcoſeldinis Campis*, imò & à *Marchieo Brandeburgica* id nominis derivare videtur. Et certè probabile videtur cuidam Neoterico, à *Marco* flum. qui Slavis Morava, Teutoribus March dicitur, deſumptum id eſſe nomen; & vel à Germanis impoſitum, quod eſſent populi *accolæ Marci* fluv. vel à Latinis quod ad flumen Marcum manerent, Marcomanni dicti. Aliis alia placet derivatio, quam in obſcuris hiſce rebus liberam cuique relinquo. Mihi tamen non abſurdus videtur illorum ſenſus, qui è Lingua Slavonica ſeu Gothica illud nomen deducunt. Quibus quaſi *Marg-manni* ſunt dicti, id eſt *pulchritudinis* viri, vel quia rerum pulchrarum notitiam perſpectam habuerunt, à *Margas* & *manes*. Illud *pulchrum*, *colore Variegatum*; hoc *intelligen-*

*Unde Nomen Marcomannorum? I. ex Lazio.*

*Senſus Auctoris.*

a lib. 2. Hiſt.

*telligentem* ſignificat. Unde *Margines* apud Lietuanos, Pruſſos, Zamogethas, Curones Pruſlos *Veſtes Variegatæ* dicuntur. Certè præ omnibus aliis videtur hæc Marcomannorum gens à rebus talibus fuiſſe commendata; non quidem quod aurum & argentum aut pretioſam ſuppellectilem dilxerint, ſed vel quod ſedes bellica virtute partes, *rerum pulchrè geſtarum gloriâ* ornaverint; vel quod *veſtibus induti variegatis* inceſſerint, *velamina capitum maculis reſperſa tinctaque corpora habuerint.* Ita de his Tacitus lib. 18. Hiſt. Aug. & lib. de Moribus Germ. & Marcell. lib. 16.

## §. II.

## *De Origine Gentis Marcomannicæ & Situ Marcomannicæ antiquæ.*

*Origo Marcomannorum.*

*Marcomanni Non ſunt Teutones.*

*Sunt Svevo-Gothi.*

NObis originem gentis hujus inveſtigantibus linguam & mores, quos cum Svevis noſtris communes habuerunt, non aliam fuiſſe demonſtrant, quam quæ fuit Svevorum Gothorumque noſtrorum. Quòd enim non fuerint Teutones, ipſæ gentis hujus reliquiæ, quæ in illis terris reperiuntur, & linguâ Gotho-Slavonicâ utuntur, indicant. Ad Svevos, quod Marcomanni fuerint relati antiquitùs docet Strabo lib. 3. his verbis: *In hoc tractu ſita eſt Hercynia ſilva & Svevorum natio, ex quibus nonnulli intra, aliqui extra Silvam habitant. Sunt & Coldulorum plerique, in quibus eſt & Bojohemum Marobodui Regia, quem in locum ille cum alios plures traduceret incolas ſuos conterraneos quoque Marcomannos elegit.* Svevos autem Gothicam gentem fuiſſe lib. 1. demonſtravimus. c. 5. §. 4 & 10.

*Situs Marcomaniæ Antiquæ.*

*Situs Marcomanniæ* antiquæ non adeò accuratè nobis à veteribus deſcriptus proponitur. Tacitus curioſiſſimus inter Veteres Hiſtoricus hæc habet de Marcomannis. *In Hermundurum, Albis oritur flumen inclytum & notum olim: nunc tantùm auditur. Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. Præcipua Marcomannorum gloria, viresque atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Bojis, virtute parta, nec Nariſci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur. Gotthini, Oſii, Burii terga Marcomannorum Quadorumque claudunt, ex quibus Martingi & Burii ſermone cultuque Svevos referunt.* Quæ verba Marcomannorum ſedem videntur nobis ſatis demonſtrare, quod ſcilicet expulſis Bojis, Bojorum terras occupaverint, nempe *Bojohemum.* Bojos autem ad Slavos pertinuiſſe, ex eo deducitur, quod circum circa Slavis ſepti populis, quorum reliquiæ manſerunt manentque adhuc in Bohemicis terris. Simile quid habet Strabo.[a] *In quo*, inquit, *eſt Bojohemum Marobodui Regia, in quam regionem ille, cum alios plures tum populares ſuos Marcomannos tranſtulit.* Ex citatis tamen Taciti verbis colligitur, Marcomannorum Patriam non procul fuiſſe *Danubio*, quippe in fronte Germaniæ (id eſt ad Danubium,) ſita fuit. A quo Danubio, qui Romani Imperii limes quaſi fuit,

*Boji Slavi.*

[a] lib. 7.

fuit, Germania ſe ad usque Viſtulam & ultra protendebat, *Germania Sarmatica* Septentrionem verſus, verſus Occidentem *Germania Gothica* usque ad Rhenum, ubi Franconia ſeu Teutonia incolebatur. Hic monitum curioſum Lectorem velim, quando veteres hos ſimilesque populos non *procul à Danubio vel ad Danubium collocant*, ſenſum videri hunc eſſe, quòd ſcilicet ab illa plaga, qua Danubius Romanum Imperium limitat, venerint, neque procul inde ſedes ſuas locaverint. Nimirum loca illa ad Danubium cum ſemper fuerint incurſionibus Barbarorum expoſita, Authores certam accuratamque locorum populorumque illorum notitiam habere dareque minimè potuerunt. Eodem ſenſu Lector exiſtimet dici ab Auctoribus, qui tot populos *à Mœotide veniſſe* referunt, quod ſcil. *ab illa plaga, quæ Mœotidem verſus ſe porrigit*, venerint. Qui verò bellicas Marcomannorum res geſtas potiſſimum regnante Maroboduo deſcribunt, poſſeſſionem terrarum Bohemiæ & Moraviæ illis attribuunt, cujus regni latitudo certè eò tempore longè amplior, quàm hodie eſt, longèque protenſior cenſeri debet, utpote multarum maximarumque Gentium Altrix.

*Germania Sarmatica Gothica.*

*Quo ſenſu tot populi ad Danubium poſiti dicuntur.*

*Marcomanni in Bohemia.*

## §. III.

## *De Bojohemia ſeu Bohemia, Bohemis.*

QUuandoquidem Marcomanni Bojohemorum terras juxta Tacitum occupârunt, in iisque ſedes ſuas fixerunt, ideo de iis eorumque terra agendum in præſenti. Nomen Bohemorum inter Authores variat. Ptolomæo dicuntur *Böemi*, Germanis ſeu Teutonibus **die Böhmen.** Ipſum vero Regnum **Boheim**/ id eſt *Bohemorum* ſedes. Bohemi ipſi malunt vocari *Czechi.* Ita & Ungaris & Græcis Recentioribus audiunt. Latinis eruditioribus Bohemia audit modò *Bohemia* modò *czechia*, Paterculo *Boiohemum*, Tacito *Boiemum*, aliis *Boſemum.* Straboni quàm maximè variat: dicitur illi βουβίεμον βουιαίβιον, βουίασμον, βουίαςμον. Vox autem *Bojehemum* tribuitur ab Authoribus antiquis communiter *Regiæ Marobodui* Regis Marcomannorum. In quam ille regionem populares ſuos Marcomannos tranſtulit, quo facto Marcomanni in Bohemos tranſierunt, abolito Marcomannorum nomine Bohemi dicti ſunt. Unde verò nomen? non una eſt Eruditorum mens. Sunt qui Bohemos dictos volunt à *Bojis* primævis hujus regionis incolis, Bojos autem appellatos eſſe putant exinde, quod *timidi* fuerint. Ita enim ſonat vox iſta in lingua Gotho-Sarmatica Polonaque hodie: Alludunt hi Auctores ad *fugam & timiditatem veterum incolarum*, quos Marcomannorum Princeps Maroboduus expulit. Alii dictos volunt à Slavica voce *Boy*, id eſt *pugna.* Alii à voce *Czechia* & Ruſſica *Boh moy* id eſt DEus meus: alii ex eodem fonte, ſed à vocibus *Boh* & *muz* quæ DEum & Virum ſignificant. *Viros* ſcilicet *ſe Bohemi appellabant pugnaces ac divinos.*

*Nomen Bohemorum.*

*Nomen Bohemorum unde? Boji nomen unde?*

*Situs Bohemiæ* antiquæ non ſatis exactè à veteribus nobis proponitur. Paterculus tribuit illi incinctos *Herciniæ ſilvæ campos.* Similiter & Strabo. Etiam hodie Regnum Bohemiæ ſaltibus & montibus undi-

*Situs Bohemiæ.*

que tanquam nativo cingitur muro. Tacitus verò illud Danubium usque extendit, quo ſenſu & Auſtriæ pars ipſi adjungenda foret. Puto pro potentia Regum vel accreſcente vel decreſcente Regnum Bohemiæ amplitudinem ſuam extendiſſe vel remiſiſſe. Hodierna Bohemiæ facies alia longè videtur. Juxta Chorogaphos imprimis M. P. Stranski Regio hæc intra *longitudinis* gradum 34 & 35 aliquanto ultra trigeſimum ſextum & intra *latitudinis* gradum 48, 49, ad quinquageſimum primum poſita eſſe dicitur. *Longitudo* Bohemiæ ſpecialiter ſic dictæ extendit ſe ad quadraginta lapides ab *Auſtro* ad *Occaſum*, triginta quinque ab Auſtro ad Septentrionem. Clauditur ab *ortu* Sileſia & Moravia. Ab *occaſu* Norico ſeu Palatinatu Bavariæ, à *meridie* Auſtria, à Septentrione Miſnia & Luſatia. Olim variè partita fuit. Jam in Dynaſtias ſive Toparchias, quarum celebriores habebantur, *Caur-Zinnano*, *Boleslavienſis*, *Lucenſis* ſeu Zatecenſis & *Viſchradum*, quæ ultima gentis totiùs Principi cum imperio ſummo ſemper reſervata fuit. Deinde in *Przedlabianam & Salabianam* Bohemiam diviſa fuit. Id eſt in *cisalbinam* & *transalbinam*, quarum quælibet ſua habebat territoria peculiaria. *Hodierna* partitio *Carolina* dicitur, quod à Carolo Rege, Imperator. Rom. IV. ſit approbata, *Octodecim* numerat *Provincias*, ſcil. *Pragenſem*, *Kaurzimenſem*, *Hradecenſem*, *Chrudimenſem*, *Gaſlavienſem*, *Bechynenſem*, *Vultavienſem*, *Podbrodſcenſem*, *Pitchenſem*, *Philznenſem*, *Racownicenſem*, *Slanenſem*, *Zatecenſem*, *Litomierzicenſem*, *Boleſlavienſem*. Comitatum *Glacenſem & Hebanum* ſeu *Egranum*. Quæ verò ſint in quavis Provincia Urbes, oppida, Caſtella, ſive Regia, ſive Nobilium, videatur M. Paul. Stranski, in Repub. Bohem. Ubi fuſiùs agit de hujus regni *fertilitate*, *divitiis*, *metallorum* ac *mineralium fodinis &c.* quo curioſum Lectorem remitto.

*Hodierna Bohemia.* *Partitio Bohemiæ.*

## §. IV.

## *De Principibus Bohemicis.*

J*Udicibus* Bohemos antiquitùs obtemperſſâe referunt eorum Annales, ex quibus quatuor referunt. Primus fuit *Czechus*, frater Lechi ut creditur; qui incultam hanc regionem, ſilvisque horridam, adductis omnis ordinis, ætatis, ſexusque hominibus quam plurimis occupâſſe, colendamque ſuis diſtribuiſſe dicitur. Hic expletis vitæ annis octuaginta ſex, regiminis anno XVII. magno populi dolore fatis conceſſit. Suffectus eſt illi *Crocus* Toparcha Wladorzinus Hledi filius. Cujus in rebus gerendis dexteritatem divinationemque vicini *Poloni* admirati ad reſtaurandam ſuam ipſorum Rempublicam evocâſſe dicuntur, quorum precibus tandem victus ille, ætate licet affecta, regiminis in patria annis quinquaginta expletis, ſuſcepiſſe oblatam creditur dignitatem, patrio tamen translato regimine in filium cognominem, *Crocum* juvenem, *Ludi literarii* (ut habet citatus Strasky.) *fundatorem* in *Budeczka*. Hic ætatis ſuæ *Octuageſimo ſexto*, Regiminis trigeſimo nono anno, nulla relicta prole maſcula, in vivis eſſe deſiit. Ex cujus filiabus, ob inſignem vaticinandi peri-

peritiam ſuffecta eſt in throno *Libuſſa* virgo, viginti quinque annorum ætatis, *Bohemorum Sybilla.* Hæc jus populo dixiſſe fertur à dignitate ſuſcepta, antequam nupſiſſet, annis 13. Quia verò Libuſſæ Imperium muliebre viris indignum viſum fuit, poſt multas ultro citroque diſputationes, Numinis, ut credebatur, ſuggeſtu, maritus Genti Princeps, ab aratro datus eſt *Przemislaus Stadicii* pagi (aliis *Studnicii*, unde Illuſtris Studniciorum familia deſcendiſſe creditur.) *Dominus*; ætatis tum 46. Imperavit 44. ann. mortuus nonagenario major. Anno poſt natales Chriſti 632.

## *Catalogus Principum Bohemicorum.*

Huic *Przemislo*, Primo Bohemorum Principi ſuffectus eſt.

*Nyzamislus*, Princeps prudens & felix. Deceſſit anno regiminis 39. æta. 75. ſucceſſit filius.

*Mnata*, Princeps Juſtitiæ adminiſtratione clarus. Præfuit annis 20. Poſt hunc filius cooptatus.

*VVogenus*, bellator ſtrenuus ac felix. Deceſſit anno regiminis 28. ætatis 58. Chriſti 763. In Patrium ſuffectus ſolium.

*VVnyslaus*, Princeps pacis populique amans rexit Bohemiam 22. ann. mortuus ætatis ann. 47. Ao. 788. cujus regnum ſuſcepit filius.

*Crzezomislus*, ſtaturâ brevis, animo magnus. Contra Carolum M. Ao. 789. haud infeliciter bellum gerens, vixit in principatu ann. 19, inter mortales 44. Fatis conceſſit Anno poſt natum Chriſtum 864. Succeſſit filius.

*Neclanus*, Puſilli animi Princeps. Hinc à Patruelibus aliisque deſpicatui habitus, feliciter tamen contra illos rem geſſit, tandem ætatis anno confecto 46. filio reliquit Principatum.

*Hoſtivito*, humaniſſimi genii juveni. Hic repreſſis fratribus, qui illius regimen turbabant, à Romano Imperatore Ludovico, fœdere novo Ao. 840. Francofurti percuſſo, *Imperii Socius* factus. Imperavit annis 17. vixit ann. 45. mortuus Ao. 856. ſucceſſit filius.

*Borzivogius*, Princeps pacificus, religionis ac populi amans. Tandem ſexagenario major à Methodio Epiſcopo in Chriſtiana religione inſtitutus, ſuperſtitionibus gentilibus renunciavit, aqua ſalutari tinctus eſt. Hic deinde ſuorum inſolentiâ exoſus, compoſitis priùs turbis, ubì filio proceribusq; principatum commendaſſet, ultro regimen abdicans in Tettinianos ſeceſſus ſe cùm Uxore recepit. Poſt cujus fata Principatum obtinuit.

*Zpitimerus*, filius juvenis ſapiens & ſolers, ſed brevis ævi, adeoque imperii: nam poſt biennium fatis concedens, Proceribus anſam dedit parentem *Borzivogium* iterum in thronum revocandi: qui quod honorem ſenſerit ſibi oneroſum, ceſſit iterum alteri filio, fratri Zpitimeri.

*Vratislao*, Eximiæ virtutis Principi. Hic feliciter contra Hungaros in patrias hoſtiliter excurrentes terras, bella geſſit. Mortuus eſt anno Principatus 10. Chriſti 916. reliquit Octennem.

*VVenceslaum.* Hic feliciter imperavit, populo ac Imperatori, qui

ipſum

ipſum *REGEM* ſalutavit, acceptiſſimus; aſtu tandem matris *Drahomiræ* mulieris idolorum cultui deditiſſimæ, excitatis inter Proceres turbis, nefariè occiſus eſt Ao. ætat. 30. Chriſti 938. In ſanctorum poſtea numerum connumeratus, arripuit fratris principatum.

*Boleslaus* cognomine *Sævus*, qui ſtrenuè licet contra Ottonem M. Imp. Rom. bellum geſſiſſet, ejus tamen pertæſus pacem certa tributi penſione redimere maluit. Imperavit 29. ann. mortuus æt. 58. Chr. 967. ſucceſſor illi datus filius natu minor.

*Boleslaus* dictus *lenis*. Fines tamen ditionum ſuarum in Misniam & Poloniam produxit, felix in Bello Princeps. Obiit Ao. 999. Paternum ſolium cupavit.

*Boleslaus* cognomento *Rufus*, *Avarus*, *Cæcus*. Hic amiſſis per ignaviam rebus omnibus, quæ Parens in Misnia & Polonia acquiſivit, oculis principatuque omni privatus filio reliquit Bohemiæ ditiones. Is fuit.

*Jaromirus* qui auxilio Henrici Cæſaris contra Poloniæ Regem Boleslaum paternum ſolium occupavit & principatum obtinuit. Verùm aſtu fratris *Udalrici* circumventus *Ethelbodo* Præſuli Mersburgenſi ſub cuſtodiam traditur coactus fuit regimen relinquere fratri Udalrico.

*Udalricus* hic feliciter bello cum Polonis ac Cæſare confecto poſt annos regiminis 35 mortuus principatum reliquit filio.

*Brzetislao*, quem Authores *Achillem Bohemicum* vocant. Rexit Bohemiam anno 17. mortuus A C. 1055. ſucceſſit filius Primogenitus.

*Spithimerus*, cujus regimen ſexennio terminatum excepit Frater.

*Uratislaus Dux Olmucenſis*. Hic ab Henrico IV. Imp. Roman. ob navatam ſtrenuè operam contra Saxones obtinuit *Luſatiam* ſuperiorem & dein conſenſu Ordinum Imp. Rom. factus eſt ex Duce. *REX BOHEMIÆ*. Defunctus eſt anno Imperii Regii 16. Ducat. 15. Chriſt. 1093. ſuffectus in ejus locum frater.

*Conradus*, qui titulo *DUCIS* contentus vix octo menſes regnavit, quo defuncto advolavit ex Ungaria Uratislai Regis filius.

*Brzetislaus*. Infelix Princeps, occiſus anno Regim. 7. à *Loteco Varſevicio* A C. 1100. ſucceſſit in ejus locum frater conſanguineus.

*Borzivogius II*, qui ter ſolium principatus conſcendit, terque de eo deturbatus eſt, in cujus locum jam *Swantopelcus* jam *Uladislaus* frater variis altercationibus ſuffecti ſunt. His finitis ſucceſſit.

*Sobieslaus*, felix in bello contra *Lotharium* Imp. R. Princeps. Rempubl. Bohemiæ auxit, rexitque ann. 15. mort. 1140. cui poſt multas altercationes ſucceſſit Uladislai filius.

*Uladislaus* Princeps humanitate lenitateque animos ſuorum ſibi devixit. Strenuus contra Saracenos in *terra ſancta* bellator exſtitit; Cæſari egregiam navavit adverſos Mediolanenſes operam. *REX* Ratisbonæ, Princepsque Imperii proclamatus eſt & pro Aquila *LEONEM* in inſignibus geſtandum accepit. Bellum adverſus Imperatorem Conſtantinopolitanum *Michaelem* in Ungaria feliciter confecit; cumque æta-

ætate gravis Imperii ferendi oneri impar ſibi viſus eſſet, ſucceſſorem in Principatu filium deſignavit.

*Friedericum.* Hic à Cæſare Friederico, qui Jus illud creandi Boemiæ Principem ſibi ſoli competere putabat, exauctoratus, cedere neceſſe habuit regimen.

*Sobislao*, à Cæſare deſignato. Cui tamen Proceres Bohemiæ obſequia debita recuſantes, imperium abrogare intenderunt, tandem poſt quadriennium *Friederico* iterum revocato imperium contulerunt, quod usque ad ann. Ch. 1190. inter multos reipubl. motus tenuit, quo defuncto adeptus eſt Principatum Friederici conſanguineus.

*Conradus II.* Hic anno regiminis primo, peſte defunctus, locum ac Imperium ceſſit.

*Venceslao*, Sobislai ſenioris filio qui æmulus ſuum *Przemislum*, ope Cæſaris Henrici VI. repreſſit, alternanteque fortuna Rempubl. rexit poſt cujus fata ſucceſſit.

*Przetislaus*, quem ſecutus eſt.

*Vladislaus.* Hic poſt Menſes 5. reſignavit Imperium fratri Przemislo.

## *Sequuntur* REGES *Bohemiæ.*

*Przemislus.* Princeps *Victorioſus*, cui & nomen *Aurei* datum eſt. Hic a Cæſare Philippo in Comitiis Moguntinis impetravit *privilegium ſolenne*, ut qui poſthac rerum in Bohemia potituri eſſent, ſuffragiis populi liberis eligerentur pro more omnes & REGES eſſent; eſtque ipſe ſtatim inſignitus Corona Aurea, Rex Bohemiæ proclamatus. Hic, quod Ottoni Imp. Philippi Succeſſori charus fuerit cognomentum obtinuit *Ottocari.* Feliciter imperavit annos 32. mortuus 1230. ſucceſſit filius. *Reges Bohemiæ.* *Ottocari unde Cognomen.*

*VVenceslaus.* Regnavit annos 24. vita defunctus eſt AC. 1253. poſt hunc regnavit.

*Przemislus* Ottocar. II. *Hoſtimilus* id eſt *Hoſpitalis* dictus. Auſtriæ, Styriæ Carinthiæ, Carnioli Dominus. Variâ fortunâ contra *Rudolphum Halsburgenſem* Imp. Rom. bella geſſit. Tandem anno regiminis 25. in ipſo fervore belli adverſùs illum ſuſcepti, vitam cum regno amiſit. Succeſſit

*VVenceslaus II.* filiùs. Rexit Bohemiam ann. 21. mortuus 1308. eum ſecutus eſt.

*VVenceslaus III.* Rex Bohemiæ & Hungariæ. Hic confoſſus in itinere obiit A C. 1306. Electus eſt à parte populi majore.

*Rudolphus* Dux Auſtriæ, Alberti Imp. filius. Hic Henricum Ducem Carinthiæ, æmulum, ope Parentis repreſſit; diu tamen non tenuit regni faſces: Anno Regni primo profluvio alvi immodico periit. Admotus poſt varias diſceptationes Procerum ad regni gubernacula.

*Johannes Lucenburgenſis.* Princeps bello felix, prudens Sileſiam Luſatiamque ſuperiorem Regno adjunxit. Occubuit in prælio Philippi

P Gal-

Galliæ Regis cum Eduardo Angliæ Rege Anno Regni 36. æt. 80. Chr. 1346. Poſt hunc deſignatus Princeps.

*Carolus Imp. IV. auctor Aureæ Bullæ.*

*Carolus* qui & Imperator Rom. IV. *Auctor Aureæ Bullæ.* feliciter imperavit annis 32. obiit A C. 1378. ſucceſſit.

*VVenceslaus. Ebrioſus* dictus. Huic, cum factus precibus Patris Imperator, vino deditus ac ignaviæ eſſet, Imperium per ſeptem-Viros abrogatum eſt, mortuus eſt A C. 1419. Fuit tunc *interregnum* per annos 16. variis regni calamitatibus miſerandum; tandem ad Regiminis clavum admiſſus eſt.

*Sigismundus.* Caroli Imp. filius ſecundo genitus, Princeps doctus Doctorumque Moecenas. Variâ fortunâ regnum adminiſtravit mortuus eſt A C. 1437. Succeſſit

*Albertus*, cognomine *Claudus*, trium Regnorum intra uniennium poſſeſſor, bellicoſus Princeps; adverſus *Moravos*, *Polonos*, *Bohemos*, *Turcas* variâ ſorte bella geſſit; diſſenteriâ extinctus A C. 1439. reliquit Regnum poſthumo.

*Ladislao*, qui ex ephebis excedens poſt Interregnum 14 annorum Rex Coronatus eſt. Is ipſo *nuptiarum* apparatu exſtinctus eſt anno æt. 18. Salutis 1457. electus poſt.

*Georgius Podiebradius*, qui ſapienter animoſeque regia uſus dignitate, æmulum Ungariæ Regem repreſſit, regnavit ann. 13 mortuus eſt A C. 1471. Poſt hujus fata electus eſt in Regem.

*Uladislaus Caſimiri Regis Polon. filius.* Princeps pacis & populi amans. Regnavit 42 ann. mortuus A C. 1516. In ejus locum ſucceſſit..

*Ludowicus Rex præmaturus.*

*Ludovicus* qui miſerè in prælio contra Turcas periit Ao. 1526. ad Mohacium. Regi huic omnia fuerant *præmatura*: quippe ante DIeM natVs. ante diem coronatus, ante diem barboſus, ante diem incanuit, ante diem Rex proclamatus, ante diem Maritus, denique ante diem defunctus eſt.

## *Imperatores Romani Familiæ Auſtriacæ Reges Bohemiæ.*

Poſt fata Ludovici præmaturi omnium conſenſu in Regem Bohemiæ electus eſt.

Ferdinandus I. Auſtriacus, poſt Romanus Imperator. Regnavit 37. mortuus 1564. Poſt hunc admotus ad Regni gubernacula.

*Maximilianus.* Regnavit 36 ann. mortuus AC. 1576. Tum ſecutus

*Rudolphus II.* regnavit 36 mortuus 1612. ſucceſſit.

*Matthias*, qui anno Regiminis octavo, reliquit Regnum Bohemiæ 1619.

*Ferdinando II.* qui jam A C. 1617. Rex Bohemiæ deſignatus fuit. Hic ab Ordinibus Bohemiæ repudiatus, neceſſe habuit æmulum Friedericum Electorem Palatinum, quem ordines elegerunt, debellare, quo debellato Ferdinandus ſolus imperavit ann. 17. mortuus A C. 1636. Poſt hunc regnavit

*Ferdinandus III.* qui Patre vivente Ao. 1627. inauguratus deceſſit 1657. ante cujus obitum Ao. 1645. coronatus.

*Fer-*

*Ferdinandus IV.* qui mortuus eſt 1653. Poſt cujus exceſſum ſucceſſit *Leopoldus I.* Roman. Imperator, feliciſſimè imperans. Utinam & diutiſſimè cum Sereniſſimo *Joſepho* ſuo, Rege coronato Ungariæ Croaciæ, Slavoniæ, Dalmatiæ.

## §. V.

## *De variis Marcomannorum Sedibus ac Migrationibus bellicis.*

REvertimur ad Marcomannos, à quibus Bohemicis ſaltibus impediti diſceſſeramus. Non contenti illi propriis ſedibus, alias ultra ſuam terram, nec ſolum finitimas, ſed remotiores etiam quæſierunt: poſtquam enim varia Gothicæ gentis populorum percurrerunt loca, varias quoque ſedes nacti, easdem poſſederunt. Memorantur verò ab Authoribus Expeditiones eorum celebriores, quæ ſequuntur.

1. *Fuit ad Rhenum in Trevirienſem Gallicasque ditiones.* Videtur hæc migratio contigiſſe tempore *Julii* Cæſaris, ſub auſpiciis Svevorum ac Marcomannorum Regis *Arioviſti.* De qua ipſe J. Cæſar l. 1. hiſt. Gall. Nimirùm jam tum Marcomanni Svevis conjuncti ad Rhenum & ultra, fines ſuos extenderunt, ſedesque feliciter occupârunt; quanquam poſtea alia de cauſa in has delatos eſſe oras. Svetonius in Tiberio refert cap. de militia: quòd ſcilicet Imperator hic multa millia Germanorum, inter quos Marcomanni plurimi fuerunt, ultra Rhenum in has oras & Galliam transtulerit, qui deinde *Harudibus, Tribocibus, Vangionibus, Sebuſiis Suevis &c.* conjuncti conſveverunt Rhenum transire, & in Gallias barbarâ ſævire feritate. Quapropter Romani contra illos arma moverunt ac tandem ita illorum inſolentiam repreſſerunt, ut iis excedere terris coacti Marcomanni fuerint.

*1. Expeditio Marcomann. ad Rhenum ſub Julio Cæſ.*

*Marcomanni Svevis conjuncti.*

*2. In Gallias ſub Tiberio à quo fuſi fugatique ſunt.*

Sub *Attilæ* quoque temporibus easdem illos & inſuper alias involâſſe oras, docet ſupplementum Eutropianum. Lazius l. 9. vult Marcomannos ſedes tunc occupâſſe circa *Eberswald* & *Ardennam* ſilvam ad amnem *Ar*, qui *Aiſliam* irrigat, ſedem *Ariorum*; quos Procopius *Arborichos* appellare videtur. Hos *Arborichos* ſive *Arios*, tribum Marcomannorum vult fuiſſe idem Lazius c. l. Quare noſtris Marcomannis aſſignandum foret *Belgium.* Exinde idem conjecturat, quod noſtri Marcomanni ſub nomine *Armoricorum*, Imperantibus Alberto & Friderico III. Rom. in Alſatiam & Helvetiam hoſtilibus excurrerint armis. Ex his oris reverſos probabile putat Lazius illos cæteras vicinas inundâſſe terras ſecus Oderam ſcil. *Marchiam Brandeburgicam*, & ab iisdem Brandeburgicas ditiones nomina ſua *Marchiæ novæ, Antiquæ, mediæ*, obtinuiſſe. Celebratur etiam Marcomannorum *Expeditio in Daciam. Ripenſis* olim dicebatur, in conterminiis Hungariæ & Tranſilvaniæ ad fluv. Marus & Cuſum. Nam in his oris Duce *Catvalda* Marcomannos à Romanis profligatos fuiſſe meminit Tacitus l. 2. Aug. In his quoque locis Quados & Svevos conſediſſe ſcribit Marcellinus l. 17. & 30. It. Plin. lib. 3. c. 12. Verùm etiam his ſæpiùs depulſos oris aliò commigrâſſe docet

*3. In Gallias ſub Attila.*

*Quas oras occupârunt?*

*Arii Marcomannorum popularis tribus.*

*4. In Alſatiam & Helvetiam ſub nomine Armoricorum.*

*5. In Marchia Brandeburg.*

*6. In Daciam Ripenſem*

cet hiſtoria antiqua ſcil. tempore *Julii* Cæſ. nec non *Octavii* Aug. Auctor eſt Sextus Ruffus, quanquam non ex tota eo tempore pulſi ſunt Pannonia, permanebant enim in locis Valeriæ inter Danubium & Dravum Savumque. Adriani autem Imperatoris Tempore amiſſas in Pannonia oras recuperârunt, Adriano illos in amicitiam recipiente, qua benevolentia tandem abuti cæpere, poſtquam viris viribusque aucti, infeſta Provinciis Rom. Imperat. proximis arma intulerunt, unaque Italiæ inhiârunt, teſte Jul. Capitol. in vita Marci Cæſ. adverſus quos prædictus Cæſar bella gerere neceſſe habuit. Arduum omnino fuit Romanis hoc bellum *Tantus autem*, (verba ſunt Capitolini) *timor belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus compleverit, Romam omni genere luſtraverit, retardatusque à bellica profectione ſit, celebravit & Romano ritu lectiſternia per ſeptem dies. &c.* Conſpirarunt nimirum innumeræ gentes aſſociatæ Marcomannis, *Nariſci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes, Burii, Victobali, Soſibes, Sicobates, Roxolani, Baſtarnæ, Halani, Peucini, Ceſtoboci.* Hos omnes tam potentes & numeroſos populos, magno ſuo labore viciſſe *Marcum* Imperat. Rom. refert citatus Auctor, Marcomannis in deditionem acceptis plurimis, inque Italiam abductis. Omne ad hoc bellum Imperator exhauſit ærarium, adeò ut neceſſe habuerit in foro D. Trajani *Auctionem Imperalium ornamentorum* facere venùmque proponere, *aurea pocula & Chryſtallina, Myrhina, Vaſa item regia, & Veſtem uxoris ſericam auratam gemmasque, atque &c. ſigna cum tabulis magnorum artificum.* Cogebatur Imperat. Rom. pro ratione ſtatûs, *armare gladiatores, latrones Dalmatiæ & Dardaniæ milites facere, armare Diocynitas, conducere & Germanorum auxilia* contra Germanos, omnique diligentia parare legiones ad Marcomannicum hoc bellum. Hæc omnia Capitolinus, Suidas & Lucianus in Dialogo, cui Alexander nomen eſt. Uſus quoque eſt Marcus Imp. *Dacorum auxilio* in hac expeditione, Ducibus *Pertinace & Severo, Rutiliano & Marcello &c.* qui duo priores ad apicem Imperialis dignitatis poſtea pervenerunt. Conferatur Oroſ. l. 7. Herod. l. 1. Hiſt. Aug. in Marco. Poſt cujus fata, cnm *Commodus* Parenti in Imperio ſucceſſiſſet, atque bellicis exercitiis intermiſſis ignaviæ ſe ac libidinibus dediſſet, Marcomanni ab illo deſciverunt. Et cum Commodus hoſtiles illorum irruptiones formidaret, tributo illis annuo condonato, in Pannoniam ſecus Danubium & amicitiam eos recepit. Quæ omnia confirmavit deinde filius Commodi, Baſtianus Carucalla, qui & corporis ſui cuſtodiam ex iis ſibi aſcivit. His Marcomanni elatiores, & quod conſequens eſt, inſolentiores facti, ſuis non contenti finibus, interiores Romanor. terras invaſerunt, ſed eos Alexander Cæſar ex Mammaia Baſtiani filius ita coercuit, ut ad Iſtrum ultraque illud fluentum cedere illos coegerit. Herod. l. 6. Poſt viginti annorum decurſum iterum Marcomanni rediere ad curſum fortunæ ſuæ Gallieni Cæſ. beneficio. De quo Aurelius Vict. in Hiſtoriar. Epitome. Hic Imperator ſcil. *Galienus* amore mulieris cujusdam Marcomannicæ (regiæ erat indolis & ſanguinis, eximiæque inſuper venuſtatis, qua de cauſa nomen *Pupæ* id eſt in lingua Gothica Pulcherrimæ

acce-

accepit.) captus, Marcomannis multos in Pannonia agros donavit. Ita firmatis illi ſedibus auctisque viribus Aureliano ſe Cæſari oppoſuerunt (Marcellinus lib. 16. refert Sarmatas ſimul cum ipſis Romanorum terras invaſiſſe) omnia circum circa Mediolanum devaſtantes, Italiæque arma inferre meditantes. Vopiſcus in Aurel. Verùm debellati potiſſimùm à Valentiniano, ab eodem in ſervitutem redacti ſunt, multis ultra Danubium millibus transmiſſis. Iterum ſe illi recollectis viribus erexerunt præſertim temporibus Theodoſii, ſub quo potentem armorum formidinem incuſſerunt Romanis, quod ex ſupplemento Eutropii patet. Eodem alludere videtur Claudianus in Panagyrico Stiliconis hoc carmine:

*Regia Romanis diſquirit crimina carcer,*
*Marcomanus Svevusque docent: quorum alter Hetruſcum*
*Pertulit exilium, jacuit mucrone ſuorum:*
*Res avidi conſcire novas, odioque furentes*
*Pacis, & ingenio ſcelerumque cupidine fratres.*

Sic tandem à Romanis deleti, Pannoniis excedere coacti ſunt. Lazius refert, quod Marcomannorum veſtigia etiam in *Dania* exiſtant, atque illos vult eſſe *Mertios*; probatque id ex annalibus à ſe repertis, quod cum Carolis, *Calvo* & *Craſſo*, *Arnupho*, *Ludovico Henrico* (& *Ottone*) bella multa geſſerint. Hos ille putat eſſe *Marcomannos*, quos & *Normannos*. Idque oſtendit ex eo, quod mertiorum nomen in Dithmarſia remanſerit, imò ipſum Daniæ Regnum hodie vocetur Dennemarck à Marcomannis ibi olim inhabitantibus; ſed nimiùm alluſione vocis Marea deluſum fuiſſe virum aliàs non ineruditum exiſtimo.

## §. VI.

### *Reges veterum Marcomannorum referuntur, præſertim qui ad Albim in Bohemo viciniſque terris regnârunt.*

PRimus inter celebriores Marcomannorum Reges fuit *Marobodmus* Suevus. Is Marcomanorum gentem primùm in Bohemiam, teſte Strabone [a] traduxit, bello à Tiberio Cæſare petitus. Paterculus.

*Gotwalda*, aliis *Catwalda*, ex Rege Gothorum, pulſo Maroboduo, Rex Marcomannorum efficitur.

*Jauvillius* aliis *Jubillio*, ex Rege Hermundurorum pulſo Catvalda Rex creatur Marcomannorum.

*Vannius*. Auctoritate Tiberii Rex Marcomannorum præficitur: à propriis avunculis regno pulſus in Pannonia conſenuit. Tacit. Ann. lib. 19.

*Sido & Utalus*, auctoritate Roman. Imp. præfuerunt.

Q *Vara-*

[a] lib. 7. Geogr.

*Varabertus*, Marci Cæſ. Antonini Imperio Marcomannos gubernavit. Hunibaldus in Annalibus.

*Brando*, circa Ann. Dn. 150. Fundator, ut creditur, Brandenburgi.

*Gundaricus* & *Ardericus*, Reges Diocletiano Imperante, de quibus Jornandes.

*Saloninus* cujus filiam *Pupam* Galienus Imperat. in matrimonium duxit.

*Hartomundus* & *Carioviſtus*, egregii bellatores, tempore Taciti & Aurelii Cæſſ.

Hoc tempore alii in Rhætias cum Svevis, alii in Pannonias conceſſere, de quibus Jornandes & Procopius.

## §. VII.

*De Quadis.*

## *De Quadis Eorum Nomine, Origine, Situ, Bellis &c.*

*Quadorum nomen.*

PLerumque apud Authores Marcomannis adjunguntur Quadi, qui ſi non unus, tamen conterminus videtur fuiſſe populus, illis Svevisque ut plurimùm in expeditionibus intermixtus. Eorum *nomen* variat. Communiſſimè vocantur *Quadi*. Sarnitio in Annal. lib. 3. audiunt *Squadi*. Oroſio videntur dici *Qualii*, qui cum Marcomannis, Sarmatis Vandalis ac Svevis &c. Romanorum aggreſſi ſunt terras. Aliis audiunt *Quali*. Unde nomen derivandum ſit non eadem eſt apud Authores ſententia. Sarnitius putat, Quadorum nomen eandem ſibi derivationem vendicare, quam vox *Quidzinum* apud Sarmatas frequentiſſima. Sunt enim loca quædam in Majori Polonia & Pruſſia &c. quæ *Quidzinum* & *Squidzinum* vocantur. Facili mutatione literarum l. in a. & A. in i. Putat ille Quados Quidinos priùs eſſe dictos, probarique id poſſe videtur ex eo, quòd Quidſinum in Pruſſia ad fluvium Oſſam ſitum ſit. Quados autem Oſſos Gothos ſibi conterminos fuiſſe antiquitate viſum eſt. Verùm hæc non benè ſibi cohærere puto ego, ſi Tacito fides habenda ſit, qui Oſos Buriosque claudere dicit terga Marcomannorum & Quadorum. Aliis ex Teutonico placet hoc nomen derivare quibus Quadi ſunt quaſi die Quaden. Id eſt *iraſcibiles*, notantibus ſcil. ipſorum mores aſperos, trucemque agendi modum. Mihi rectè videtur nomen id Quadorum, cùm etiam illi ad Gothos referantur, ex Gothica lingua derivandum eſſe. Scilicet apud noſtros Gotho Sarmatas eſt vox *quotas* & *quatas*, denotatque hominem, qui ex improviſo aliquem lædit. quod Quadis apprimè convenit, ſi actus illorum geſtaque conſiderentur. Ita enim illos egiſſe cum ſcriptoribus reperimus. Sed hæc liberum cuivis relinquunt ſenſum.

*Origo Quadorum.*

Quantum ad Originem Quadorum attinet, hanc eandem cum gente Gothorum eſſe, omnino ſtatuimus, quamvis nobis non incognitum ſit, à Scriptoribus antiquis illos ad Germanos referri; quod eo ſenſu accipiendum videtur, quem ſupra propoſuimus, ubi Germanos in Gothicos,

cos, Sarmaticos Teutonicos, &c. diſtinximus. Scimus enim Quados cum Vandalis Svevis Marcomannis Gothis Sarmatis unam fuiſſe gentem, uniusque linguæ populos. Ita referunt Procopius [a] Strabo c. l. Ovidius &c.

*Situs terræ Quadorum* Patriæ apud Authores variat. Ptolomæus illos ad Hercynium ſaltum collocat, quo ſpectabant ferri ſecturæ & Lunæ ſilva. Tacitus prope Hermunduros & Nariſcos in fronte Germaniæ ponit. Strabo lib. 7. facit conterminos Gethis ſeu Gothis. Plinius [b] Svevis confines ſtatuit. Verba Auctoris ſunt: *Ab eo*, inquit, *in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes: variè littori appoſita tenuère, aliàs Getæ, Daci Romanis dicti, aliàs Sarmatæ. Superiora autem intra Danubium & Hercynium ſaltum usque ad Pannonica hyberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Jazyges Sarmatæ; montes verò & ſaltus, pulſi ab his Daci ad Pathyſſum amnem, à Maro ſive is Duria eſt, à Svevis; regnoque Vanniano*, (id eſt Quadorum) *dirimens eos, averſa Baſternæ tenent, aliique inde Germani.* Regnum hoc Vannianum Quadorum eſſe teſtatur Tacitus lib. 2. annal. Marus fluvius videtur eſſe ille, qui Slavis *Morava*, Germanis *March* vocatur. *Cuſus* verò fluv. *Vage*, ſupra oppidum Komarno in Danubium confluens. Marcellinus [c] videtur eos collocare ad flumen *Grannan*, quod idem teſtatur *Antoninus* in vita ſua, ubi refert ea, quæ à Quadis facta ſunt ad Grannam; ubi Dio lib. 67. *Svevos & Jazyges* collocat. Idem confines ſibi facit populos Svevos Quados, Jazyges, Marcomannos. His perpenſis non malè Cluverius terminos fecit hos: *Scilicet à meridie Danubium, ab occaſu æquinoctiali atque æſtivo Clunem primò amnem, dein Bohemicos montes ad Mare usque confluentem, ab ortu æſtivo Marus. At poſtquam à Tyberii Principatu alii etiam Svevi nomini ac civitati eorum adjecti; limites ultra Marum fuère, à Septentrionibus montes, in quibus Plinius Hercinium ſaltum, Ptolomæus ferri ſecturam ſtrenit, ad oppidum usque Richo. Inde ab ortu Cuſus ſeu Vagus amnis ad Danubii usque confluentem; hinc à meridie ipſe Danubius. Cæterùm cùm progreſſu temporis fines ſuos ad Bregetionem usque Quadi protuliſſent; terminus à Septentrionibus porro fuit in dictis montibus ad oppidum usque Twardolzin. Hinc ab ortu juxta lineam ad lacum Holie ductam: Dein flumen è lacu in Grannam amnem decurrens; ac mox ipſe Granna ad confluentem usque, à meridie iterum Danubius. Sed & ultra dictos montes, poſterioribus temporibus civitatis ſuæ fines protulerunt, quod tradit Marcellinus lib. 17. Expulerunt hìc Dacos, quos in montibus locat Plinius; ac bonam etiam, ſi non omnem Oſorum partem, qui inter Marum & oppidum Oſuiechin Viſtulæ impoſitum incoluerunt.* Hæc Cluverius. Cæterùm quædam Quados habuiſſe oppida ſcribit *Ptolomæus*; eaque ſunt: *Eburodunum*, quod Cluverio eſt *Bruna* Morav. *Eburum*, quod *Olomucium* illi eſt. *Medoslanium*, quod eſt *Snaim*, *Celemantia*, quod **Kalmüntz**/ *Bregetio*, quod *Gran.* Ita ille. Puto ego facilè poſſe in his obſcuris à vero deviari. Tempus enim rerum omnium edax, non ipſas tan-

*Situs terræ Quadorum.*

*Cluverii ſenſus de Terris Quadorum.*

*a* lib. 1. Hiſt. Goth. *b* lib. 4. c. 12. *c* lib. 17.

tantùm urbes, ſed & Urbium nomina deſtruit & abolet. Libertas tamen conjecturandi pro ingenii acumine eruditis conceſſa eſt.

*Expeditiones Quadorum* bellicæ ferè eædem fuerunt, quæ Marcomannorum : ſiquidem Authores plerumque Marcomannis eos Svevisque Vandalisque conjungunt. Arma tamen Romanorum aliorumque excurſiones ſæpiùs etiam ſoli fortiter ſuſtinuerunt. Fatalis illorum cenſetur expeditio, quam ſuſceperunt adverſùs *Gepedas*, à quibus in viciniis Sileſii, (ut Lazius vult) debellati, adeòque attriti ſunt, ut invadentibus deinde Hunnis reſiſtere non potuerint, ſed eorum *Alvarumque* armis ferè exterminati, nomen cum imperio amiſerunt.

## *Reges Quadorum Celebriores.*

1. *Tuder* qui tempore Marobodui floruit. Laz.
2. *Vannius* Rex Quadorum & Marcomannorum celeberrimus. Tacit. lib. 2. Annal. Plin. 14. c. 12. Amm. Marcell. l. 7. meminit.
3. *Arrabaris* &
4. *Viduarii* Regum. Hujus filii fuerunt
5. *Vitrodurus* &
6. *Agilmundus* Idem Ibid.

Sicque in Quadorum Coronatis Coronis
& Finis Lib. III. Orb. Gothici eſto.

# INDEX POPULORUM
## In Lib. III. Orbis Gothici citatorum.

Achrochyrini 31
Ægyptii 2
Agauziæ 31
Alani 5. 6. 25
Alemanni 16. 39
Alites 27
Angli 9. 12
Arborichi 59
Arii 59
Armorici 59
Aviones 9. 10. 12

B.

Baſtarnæ 60
Batavi 26
Bellonoti 27
Benedi 37
Beneventini 48
Boji 52
Brixiani 48
Burgundiones 5. 7. 60
Burguntiones 24
Burii 14. 60
Buriganti 24

C.

Carini 5. 11. 14
Carniolani 41
Caviones 9
Celtæ 39
Ceſtoboci 60
Chaujones 39
Cogeni 31
Cogni 14
Craſini 25

D.

Daci 60
Dani 31. 61
Deuringi 9
Diocynitæ 60

E.

Eidukai 13
Etelrugi 31. 50
Eudoſes 9. 10. 12

F.

Fenni 3
Fimii 31
Finni 3
Franci 8. 27.

G.

Gepedes 5
Germani 6. 59. ſeq.
Gothi 6. pt.
Granii 31
Guttones 5

H.

Haidukkai 12
Halani 60
Harudes 59
Helii 30
Hermunduri 63
Heruli 9. 30
Hunni. 27. 64

I.

Jaujones 39
Jazyges 63
Iſtulani 8

L.

Langobardi 9. 23. 43
Latringes 60
Lelokai 13
Lemovii 10
Lugi 14

M.

Marcomanni 6. 51.
Martingi 52
Melanchlæni 5. 15
Mertii 61
Moravi 58

N.

Nariſci 52
Normanni 61
Nuithones 10. 13

O.

Oſii 52
Oſtrogothi 31.

P.

Peucini 39
Phinni 4
Polexjani 25
Poloni 58

Q.

Quadi 11. 62
Quali 62
Qualii 62
Quidzini 62

R.

Raugnaricii 31
Raumaricæ 31
Redingi 11
Reudingi 11
Rogalli 49
Roxolani 60
Rugii 9. 11. 49

S.

Saraceni 56
Sarmatæ 4. 29. 16. 60
Schonlandivi 45
Scoti 27
Scyri 51
Scythæ 2. 63
Sebuſii 59
Sedini 14
Sicobates 60
Sidones 11. 14
Sigambri 44. ſeq
Sigipeda 19. 39
Sileſii 64
Silii 25
Silingi 11. 14
Slavi 6. pt.
Slavini 41
Soſibes 60
Spolatani 48
Suardones 9. 10. 13
Sudones 14
Svergothi 8
Svevi 51
Svetidi 31
Sulodimiſtæ 25

T.

Teutones 8
Theuringi 9. 12
Triboces 59
Trutingi 89
Turcæ 58
Turcelingi 50

V.

Vagri 9
Vandali 1. ſeq
Vandalii 1
Vandoli 1
Vangiones 59
Varini 5. 10. 13
Varmii 10
Varni 10
Vendæ 2. 3
Vendi-Alani 2
Vendili 1
Venetæ 46
Veruli 9. 31.
Veſi 27

Victobali 60
Vidiarii 20
Vindæ 41
Vinetæ 13
Vinæ 2. 8
Vindeli 3
Vindelici 13
Vinoviloth 1. 31
Virtungi 39
Viruni 10
Viſegothi 5
Ulmirugi 50
Winili 1
Vinuli 19

# INDEX RERUM.

## In Lib. III. Orbis Gothici contentarum.

*Acmodæ* Inſulæ 38
*Ætius* Dux Rom. 16
*Andaluſia* olim Vandaluſia 16
*Andros* Inſ. 38
*Angli* 12
*Ardaricus* Geped. Rex 21
*Arelatenſes* Reges 28
*Aſdingorum* ſtirps 15
*Aſpadas* Geped. Rex 23
*Atheas* Gothor. Rex 7
*Aviones* populi 12
*Axantos* Inſulæ 38

B.

*Balthici* maris oræ Veteribus incognitæ 37
*Bandali* ſunt Vandali 4
*Bohemia* 5
*Bojohemia* 53
unde *nomen* 53
ejus *ſitus* 53
*Partitio* 54
*Principes* 54
*Reges* 57
*Boji* nomen unde? 53
*Boji* Slavi 52
*Buvn* vox quid ſignificet? 2. ſeq
*Burgus* vox quid ſignificet? 24
*Burgundiones* 23
eorum *nomen* variat 24
-- -- derivatur 24
dicti ſunt gurguriones 25
ſunt *Gothicæ originis* 25
in Sarmatia 25
eorum *migrationes* bellicæ 26
ad *Rhenum* 26
ad *Batavos* 26
contra *Scotos* 26
contra *Hunnos* 27
in *Heduos* 27
ſunt Socii Romanorum 27
eorum *Reges* ad *Viſtulam* 28
ad *Rhenum* 28
in *Gallia* 28
Burgundia *tota paret* Regi Galliæ 28

C.

Carocus Vandal. Rex 18
*Caviones*, populi 12
*Cerevifiæ* primi *Coctores* Scythæ 2
Choriſmundus Gep. Rex 23
Chronium Mare 38

D.

*Dacia* dicta Gepidia 21
Gothia 21
Ad *Danubium* tot *populi* quo ſenſu dicuntur poſiti 53

E.

*Eidoſei* 12
*Eidukai* 12

F.

*Faſtida* Geped. Rex debellat Burgundiones 20. 23
*Fenni* populi 3
*Fimii* pop. 3

G.

*Ganipotæ* pop. 19
*Gedericus* Geped. Rex 23. 15
*Gendaricus* Vand. Reg 18
*Gendinus* nomen Reg. Burgund. 26
- - - unde, derivandum? 26
*Gendus* Vand. Reg. 18
*Genſericus* Vand. Rex 17
Gepedæ 19
-- -- eorum nomen variat 19
-- -- unde nomen? 19
-- -- dicti Ganipotæ 19
-- -- eorum Origo 13
Sedes in Scythia 20
- - - ad Viſtulam 20
- - - in Dacia 21
- - - in Dalmatia 22
-- circa Sirmium & Segedinum 21
- - - bella varia 22
Reges 23
- - - accipiunt à Romanis donaria 22
ſunt Gothi 20
deleti 23
Gerhardus Comes Roſſilianis 29
ejus audacia 29
Germania apud Authores varia 6. 53
Gilimes Vandalorum Rex 18
Gleſſariæ Inſulæ 38

Gotho-

Gothogeſſitus Vand. Rex 18
Gundebandus Vand. Rex 18

H.

Hæbudes Inſ. 38
Haidones pop. 13
Haidukkai 12
*Heruli* 30
- - ſunt dicti *Henetæ* 30
- - ſunt Slavi 37
- - unde nomen? 30
- - an *Heluri* dicti? 30
- - an *Neruli* dicti? 30
- - eorum *origo* 30
- - - *patria* 31
ex Inſula Thule 32
- - - - *Sedes* ad mare Balthicum 37
*Expeditiones* bellicæ ad Iſtrum contra Romanos 39
- - - - - pro Romanis. 39
- - - - in Lyguriam 40
- - - - ad Venetorum loca 40
in Langobardos 40
in Italiam 41
in Pannoniam 41
in Valeriam 41
- - eorum *Reges*, ad Mare Balthicum 42
- - - in Pannonia & Norico 43
in Valeria 43
in Dalmatia 43
*Hildericus* Gepedarum Rex 23
- - - Vandalorum Rex 18
*Hunricus* Vandalorum Rex 18

I.

*Janjones* populi 39
*Jazyges* pop. 63
*Inſulæ* & *Peninſulæ* nomina promiſcuè ab antiquis uſurpata 37
*Iſtulani* populi 8

K.

*Knivida* Geped Rex 23

L.

*Langobardi* 43
- - - eorum Nomen 44
- - - *Origo* 44
- - - *patria* genuina 45
- - - *migrationes* bellicæ 46
- - - *Reges* in Germania Sarmatica 47
- - - in Italia 48
*Latringes* populi 60
*Lelokai* pop. 13
*Lemovii* populi 50
*Libuſſa* Bohemorum Sybilla 55
*Lugi* populi 14

M.

*Marcomanni* 51
- - eorum *nomen* 51. unde? 51. ſeq
- - - *origo* 52
*Situs* terræ 52
- - - in *Bohemia* 53
variæ *Sedes* & *Migrationes* 59
*Reges* 61
*Martingi* pop. 52
*Melanchlæni* populi 5. 15
*Menepia* Inſula 38
*Mertii* populi 61
*Mona* Inſ. 38
*Modrogisclus* Vandal. Rex 18

N.

*Neria*, quid? 31. 39
*Nerigon* Inſula quæ? 38. ſeq
*Niomon*, eſt Chron. fluv. 39
*Nuithones* qui? 13

O.

*Oſii* populi 52
*Ovida* Gep. Rex 23

P.

*Peucini* populi 39
*Phinni*, pop. 4
*Populi nomina* ſæpiùs ſortiuntur aliena, ex mala informantis relatione 97
*Prædari* glorioſum Sarmatis 4
In *Pruſſia* diverſa jura 12
*Pugnandi modus* apud Veteres Gothos 13

Q.

*Quadi* 62
- - - eorum *Nomen* 62
- - - *origo* 62
- - - *ſitus* terræ 63
- - - *expeditiones* 64
- - - *Reges* 64
*Quali* & qualii 62
*Quatas* vox quid ſignificet 62
*Quidzinum* 62
*Quotas* vox? 62

R.

*Raugnaricii* populi 31
*Raumaricæ* pop. 31
*Redingi* pop. 11
*Reudingi* pop. 11
*Ricnea* Inſula 38
*Rogalli* populi 49
*Roxolani* pop. 60
*Rugii* 49
- - - eorum *nomen*, origo, ſitus 49. 50
- - - ſunt *Gothi* 49
- - - eorum *varii populi* 50. *Reges* 50
- - - *Lemovii* 50
*Turcelingi* 50

S.

Sebuſii populi 59
Sedini pop. 14
Siambis Inſula 38

Sicoba-

Sicobates pop. 60
Sidones pop. 11. 14
Silii popul. 25
Siniſtus nomen Sacerdotum Burgundiorum 26
Soſibes pop. 60
Svardones pop. 9. 10. 13
  unde nomen 13
Suvaridones 13

T.

Thraſimundus Vand. Rex 18
Thule Inſula 32
  ejus nomen 33. unde? 33. ſeq
  ſitus 33. ſeq
  fertilitas 34
Thule anſit Islandia? 34. ſeq
  Norwegia 35. ſeq
  Scandia! 36
  eſt Balthia 37
Trapeſtyla Gepedarum Rex 18
Triboces pop. 59
Turiſmundus Geped. Rex 18.

V.

Vagri Vandali 9
Vanda Princeps Polon. 2. 5
Vandalia Polonia 2
Vandali 1. ſeq.
  eorum nomen variat 1. eſt Slavonicum. 8
  amplitudo 1
  origo 4. ſeq
  nomina Slavonica 8
  terra nativa 8
  circa Mœotin Paludem 5. 6
  varia nomina 9
  varii populi 9. ſeq
  ſunt Germani 5
  Gotho-Sarmatæ 5
  contermini Alanis 8
Vandalorum gentes Vinuli 9
  Vagri 9
  Heruli 9
  Rugii 9
  Svardones 9. 10. 11
  Vindeli 9. 11
  Reudingi 20
  Aviones 9. 12
  Angli 10. 12
  Varini 10
  Varni 10. 12
  Eudoſes 11. 13
  Nuithones 15
  Carini 11
  Sidones 11
  Silingi 11
  Caſſuli 13. Pomerani 13
Vandalorum Expeditiones bellicæ 15. ſeq
  ad Danubium 15
  in Pannonia 16
  in Gothos 16
  Hiſpanos 16
  in Africam 16
  ad Mare Balthicum 17
Vandalorum Reges 18
Vandali expugnant Hamburgum 17
  occupant Africam 16
  expelluntur Africâ 17
  non fuerunt delicati 7
  fuerunt ſordidi 17
Vandalus fluv. Viſtula 2
Vandalus Nepos Noemi 4. ſeq
  Varnia Varni 12
  Vectis Inſula 38
Vendæ 2
  eorum nomen unde? 3
Venda Polonis hamus 3
Vinduli nomen unde? 3
Vinetarum potentia 13
Vinitarius Vandal. Rex 18
Viſamar Vandal. Rex 18
Usdrilas Geped. Rex 23
Weidulli in Pruſſia 26

## *Errata Lib. III. Orbis Gothici.*

Numerus Major Paginas, minor Lineas monſtrat.

Pag. I. lin. 22. pro 50. lege Scil. 24. Vopiſcns. II. 39. Diodorus. 43. Lycophronem. III. 14. tibialium, 19. pro Alltai lege Autai 21. Auctorum. IV. 10. dialecto. 35. Opinio. V. 10. Varini, Carini. 18. dialecto. 28. Arianæ. VI. 12. pro Solis lege Solius. 41. molliſſimis. VII. 4. pro lato lege talo. 6. pro mitius lege minùs. VIII. 12. lege Slavonicam. IX. 16. Burgundiones. Varinæ. 24. Hermannides. 39. pro Anaſos l. Anglos, 37. Valentes- X. 9. Æſtivo. XI. 2. Fortenſee. 9, Carinonis. 14. pro amonibus l. atmonibus 39. pro Zvadarum l. Quadorum. XII. 29. fervore. XIII. 31. 32. Vinarum. XIV. 29. nominis. 36. movet. XV. 10. his. 25. Hildericho. XVI. 19, 20. Lazius. Godogeſſitum. 21. Modogislum. 24. Heruli. 32. Lazius. 34. Andaluſia. 35. natum. XVII. 19. Maruſios. 21. Oceanum. XIX. 8. Jej' pedæ. 13. Scanzia. 16. immutata. XX. 1. multi Authores. 12. Sextias. 12. Gotho-Sarmaticæ. 26. tacti. 29. ad meliores. 43. Gothorum. XXV. 2. *Bbrungiu.* 16. Luitprandus; *ad marginem:* Gepedis. XXVII. 2. Alites. 19. Aetio. 30. Aetius. XXVIII. 10. Conrado 7. ſe pro re. Clotharii. XXIX. lin. 16. pro Numero 3. leg. 4 XXX. 6. Regium. 18. Weruli. XXXI. 7. ſeu Weruli 12. Studnicii. 34. Dysburg. 26. Pruſſicæ. 28. avitas. 34. eodem. 43. Rudolphus. XXXII. 7. 8. Intemperantia. 30. Oceanum. XXXIII. 29. diſtantiam. XXXV. 29. leg. quam vocem merè eſſe Gothicam initio docuimus. XXXVI. 19. Tuguriaq; 41. Scandinavia Svetica. XXXVII. 11. leg. barbarorum. Odoacer. 18. 19. autem deleatur. 32. Balthicæ. XXXVIII. 8. Orcades. 10. Silinos, Andros. 12. Gleſſariæ. 16. Friſiam. XXXIX. 6. Recentem. 8 Frisch Haffe. XL. 5. Valentiniani. 14. Langobardos. 14. Longobardi. 25. Langobardorum. 30. Rugios. 32. Rugiorum. 36. Carniolanorum. XLII. Henninges. 22. Amalaſuntha. XLIII. 10. Burevinus. 11. Burevinum. 17. Friedricus. 30. Aliuth & Philimuth. 35. Langobardis. NB. Ubique ſic hæc vox jur. A, Langob. ſcil. legatur. XLIV. 27. neque hæc neque P. Diaconi. &c. 32. hodierna. 33. bardź ius. 36. Lang. bardźei. XLV. 4. ſub Svione. 33. Sigambrisque. XLVI. 3. cum Bulgaris confligere. 6. Sigambrisque. 8. Sarmatarum. 37. eorum pro coram. 41. refert Diaconus. XLVII. 9. Auduſem. XLVIII. 27. expulſis. XLIX. 39. Odoacer. LI. 31. Marchiæ. 33. Teutonibus. LII. 4. dilexerint pro partes leg. paratas. LIJ. 27. Hermunduris. LIV. 21. pro Fuchenſem l. g. Philznenſem leg. Prachenſem, Pilznenſem. 30. obtemperaſſe. LVII. 13. æmulum. LX. 23. atque etiam. 37. Caratalla. 40. Mammea Baſſiani. LXI. 23. Marca. LXII. 28. antiquitati.

Cætera Sphalmata in Punctis, inciſis, majoribus, minoribus literis benevolus Lector ipſe corriget.

F I N I S.